



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio I. De Trinitate Personarum divinarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

153

TRACTATUS SECUNDUS. DE DEO TRINO.

DISPUTATIO PRIMA.
DE TRINITATE PERSONARUM
Divinarum.

ARTICULUS I.

Qui contra Trinitatem Personarum divinarum insurrexerunt Hæretici, recensentur.



Sæculo tertio Trinitatem Personarum divinarum negavit Praxeas, Montani discipulus primum, postmodum infensissimus hostis: Roman enim profectus, apud Pontificem maximum Zephrinum nefarii illius erroris acculavit, ejusque condemnationem procuravit, sed simul propriam diffeminare cepit hæresim. Constat ex Tertulliano in lib. contra Praxeam c. 1. Duo negotia diaboli, inquit, Praxeas Roma procuravit: prophetiam expulit, & hæresim intulit: Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit. Praxeas à Zephrino errorem suum ejutare jussus est, & ejuravit, dato emendationis libello; sed postea ad vomitum rediit, & errorem, à se damnatum, aliquantò post iterum defendere perrexerit. *Ca- verat pristinum Doctor de emendatione sua, inquit Tertullianus, & manet chryographum apud Psychicos*, (sic per contemptum Catholicos nominabat Tertullianus, factus Monanista) *apud quos tunc res gesta est.... ita aliquandiu per hypocrisisin subdola vivacitate latitavit, & nunc denique erupit.*

Circa medium ejusdem sæculi, sub ann. 245. insurrexit Noetus, quem Ephesium S. Epiphanius, Smyrnaeum verò Theodoretus scribit. Praxeas hæresim amplexus, asseruit Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum non solum naturæ, sed etiam personæ unum & singularem Deum esse, ratus plures fore Deos, si plures essent personæ divinæ: nam ad probandum errorem suum abutebatur iis Scripturæ testimoniis, quæ plures esse Deos negant. Ex hac Noeti doctrina sequebatur Patrem & Spiritum Sanctum carnem suscepisse, & mortem subivisse, quod & ipse Noetus agnovit & docuit, ut refert S. Epiphanius hæ. 57. Ante eum, idem de Patre docuerat Praxeas, ut videre est apud Tertullianum lib. de præscript. c. ult.

Paucis post annis, nempe circa ann. 257. ejusdem erroris patronus Noeto successit Sabellius, ex Lybia oriundus. Quia autem sub eo hæresis majora cepit incrementa, ex ejus nomine, qui eundem errorem profitebantur, dicti sunt Sabelliani. *Horum, inquit Epiphanius hæ. 62. hæc opinio est, eundem esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ut ad eandem hypostasim tres appellationes convenient.* S. Basiliius Sabellii hæresim esse merum Judaïsmum asserit, & probat epist. 64. *Judaïsmus, inquit, est Sabellismus, sub prætextu Christianismi in Evangelicam prædicationem inductus. Qui enim rem unam pluribus nominibus appellatam esse dicit, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & unam trium hypostasim exponit, quid aliud facit? Nonne sempiternam Unigeniti, quæ secula anteceffit, existentiam negat? Negat item adventum illius ad homines quadam dispensatione factum, descensum ad inferos, resurrectionem, judicium. Negat porro peculiares etiam Spiritus operationes.*

Sabellius igitur unicam in Deo agnoscebat hypostasim, quam dicebat esse Patris: Filium verò, & Spiritum sanctum esse tantum duas illius energieas volebat, quæ proinde nec haberent, nec habere possent aliam, quam Patris hypostasim: sicut in Petro v. g.

corporis, animæ, proprietatum, & accidentium unica est hypostasis, nempe hypostasis Petri. Docebat enim Verbum divinum nostro verbo interno simile, & merè prolatitium esse, & à Patre emissum tempore creationis, sicut radius à sole emittitur; postea ad Patrem remeasse, sicut radius à sole propagatus, in eundem refunditur. Simili modo aiebat à Patre emitti Spiritum sanctum, velut quamdam calefaciendi vim, & in fidelium corda insinuari, ut ea fervore suo succendat. Nam de Sabellio & ejus gregariis sic loquitur Gregorius Thaumaturgus in expositione fidei: *Sapientiam in Deo existimant esse, sicut in homine sapientiam humanam, quæ sapiens est: & Verbum simile esse interpretantur verbo, quod ore profertur, vel mente concipitur, nulla hypostasi. Quocirca Sabellium fugimus, qui dicit eundem esse Patrem, & Filium: Patrem quidem dicit eum, qui loquitur; Filium vero Verbum in Patre manens, & tempore creationis patefactum; completis verò rebus, in Deum remeans. Idem dicit de Spiritu Sancto.*

S. Epiphanius in Synopsi lib. 2. tom. 1. & in Anacephalaxi, scribit Noetum & Sabellium in plerisque consentientes, in hoc inter se discrepasse, quòd hic non, ut ille, doceret passum esse Patrem. Sed magis credendum est Athanasio, libro de Synodis, ubi ait: *Tales sunt, qui apud Romanos quidem Patripassiani, apud nos Sabelliani nominantur.* S. Augustino idem asserenti tract. 36. in Joann. Sabelliani dicti sunt quidam hæretici, qui vocantur Patripassiani, qui dicunt ipsum Patrem passum fuisse. Et Mario Mercatori in disert. de 12. anathematismo Nestoriano, ubi ait: *Post hæc Sabellius & Marcellus monarchiam se in divinitatis substantia retinere debere putantes, nefando errore decepti, ausi sunt Deum Patrem ipsum sibi esse Filium, ipsum sibi esse Patrem, ipsum sibi esse Spiritum sanctum, ipsum incarnatum, passum, crucifixum, &c.* Et verò ex ejus doctrina omnino consequens fuit, ut diceret Patrem ipsum, sicut & alias personas, indivisim carnem suscepisse, & mortem subivisse; imò ut putaret id multò magis convenire Patri, quàm reliquis, cum hypostasim solius esse Patris vellet, & ita solum Patrem per se subsistere, qui proinde solus propriè posset suscipere, agere, & pati.

Hoc eodem sæculo, paulò post Sabellium, erupit quarta pestis, Paulus scilicet Samosatenus, qui circa annum 262. Gallieno imperante, Antiochenam Sedem obtinuit. Duæ contra illius errores Antiochiæ celebratæ sunt Synodi. Prima sub annum 265. habita est, Dionysio Romanam Sedem tenente; adfuere multi Episcopi, virtute & doctrina insignes, ut S. Gregorius Thaumaturgus, Athenodorus ejus frater, Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, &c. S. Dionysius Alexand. senectutem & valetudinem suam excusavit, epistola ad Patres Synodi data, in qua quid de Paulo & ejus dogmate sentiret, aperiebat. Congregati Episcopi, in Pauli fidem diligenter inquisierunt; sed simulata emendatione, & subdola Catholicæ fidei professione judicium hac vice evasit.

Cum autem larva brevè cum metu deposita, Samosatenus pergeret virus suum evomere, secunda Synodus anno 270. convocata est, cum adhuc Romæ sederet Dionysius, & in Alexandrinam Sedem, mortuo altero, Dionysius Maximus successisset. Paulus à Malchione, Antiochenæ Ecclesiæ Presbytero, coram Synodo convictus, à Patribus anathemate percellitur, Episcopatu abdicatur, & in ejus locum Domnus sufficitur. Denique Aureliano Imperatore à Catholicis interpellato, & jubente Episcopalem domum iis tradi, quibus concedendam Romanus Episcopus cum aliis Italiæ Episcopis scriberet, Paulus reluctans ejectus est.

Vide

Vide Euseb. lib. 7. hist. Quot autem Episcopi ad hanc secundam Synodum Antiochenam convenierint, planè certum non est. Septuaginta tantum numerat S. Athanasius in lib. de Synodis; septum verò & octoginta Basilius Diaconus in libello supplici ad Imperatores contra Nestorium. Synodicam ad Dionysium Romanum, Maximum Alexandrinum, & ceteros omnes Catholice Ecclesie Præsules dedere hujus Synodi Patres epistolam, quæ apud Eusebium lib. 7. hist. extat, & in qua mores Samosatani graphicè describunt. Narrant etiam in ea, Firmilianum, longævam quamvis ætate impeditum, se, ut adesset, in viam dedisse, sed in itinere vita functum esse.

Paulus autem Samosatenus cum Sabellio assererat, 1. Unicam & solitariam esse Dei hypostasim. 2. Verbum & Spiritum Sanctum in æternitate non per se, sed in Patre, cujus solius esset Divina hypostasis, subsistere, tamquam duas illius energieas. Patet ex S. Epiphonio hæc. 65. Est autem, inquit, Pauli hæc opinio, Deum Patrem, & Filium, ac Spiritum Sanctum unum esse Deum, hypostasi scilicet. Verbum Dei ejusque Spiritum inesse Deo perpetuo, sicut hominis in corde proprium verbum inesse cernimus. Filium Dei subsistentiam habere per sese nullam, ab æterno scilicet, sed in Deo subsistere. Et ex Mario Mercatore in dissert. de 13. anathem. Nestorii, ubi sic ait: Paulus Samosatenus Verbum Dei Patris, non substantivum, sed prolativum, vel imperativum sensit, atque pronuntiavit, non ut fides habet Catholica, Verbum in substantia, vel essentia consubstantivum, id est, ὁμοῦν Dei Patris.

Addebat Paulus, quod erat ipsi proprium, Verbum à Patre emissum, & exterius prolatum, è cælo in terras delapsum esse, quando Christus in utero Virginis formatus est, in eoque habitare cœpisset. Ad hæc, inquit S. Epiphanius post verba modò citata, Paulus docebat, Dei verbum in terras delapsum, in Jesu, qui homo merus esset, habitasse. Item Verbum, sic emissum & exterius prolatum, evasisse Filium, & tunc primum hypostasim ab æterno Patre distinctam habere cœpisse: unde, ut constat ex epist. à Dionysio Alexandrino ad ipsum data, dicebat duas hypostasies esse, & duas personas unius & solius Christi, & duos Christos, ac duos Filios; unum naturam Filium Dei, qui fuit ante sæcula, quamvis absque propria hypostasi; unum καὶ ὁμοῦν Χριστὸν, & Filium David, qui non fuit ante, & fuit in tempore, & secundum beneplacitum Dei accepit nomen Filii, sicut civitas accipit nomen domini, & domus nomen ejus, qui eam edificavit.

Ex his apparet hoc fuisse proprium Samosatani dogma, quod Jesus, Mariæ Virginis filius, & ex ea Nazarethi natus, natura fuerit purus homo, nec fuerit Deus & Filius Dei, nisi nuncupatione ob presentiam Verbi & sapientiæ Dei, ipsum hypostaticè inhabitantis. Unde multa erronea colligebat Samosatenus ipse, ut patet ex questionibus, quas ad Dionysium Alexandr. transmissit. Et 1. quidem Jesum seu Christum non esse naturam Deum Apostolorum. 2. Esse naturam hominem, sicut nos. 3. Non esse unam hypostasim Crucifixi & Verbi, seu sapientiæ Patris. 4. Sanguinem Christi non esse incorruptibilem propter personam Verbi vitæ fontis, ipsi substantialiter unitam. 5. Filium Mariæ non fuisse ante sæcula, & simul cum Patre ingenitum, neque esse ipsi coæternum. 6. Verbum non assumptisse formam servi sine hypostasi. 7. Non esse Deum magnum & æternum, qui esurivit, laboravit, defatigatus est, &c.

Samatenus igitur unicum non solum naturam sed etiam hypostasi agnoscebat supremum Deum, nempe Patrem ingenitum & æternum, præter quem alium etiam coascitabatur, sed inferiorem, utpotè sola nuncupatione, & propter inhabitantem sapientiam Patris Deum & Dei Filium, ex Virgine natum, ante quam proinde non fuit, existendi primordium Nazarethi consecutum, & sola prædestinatione æternum, ut scribit Athanasius in libro de salutari adventu Filii Dei, Paulus, inquit, Samosatensis Deum ex Virgine

constituitur, Deum Nazarethi in lucem editum, & inde existendi primordium regniq. consecutum. Verbum tamen efficax è cælo, & sapientiam in eodem agnoscit, ac prædestinatione quidem ante sæcula fuisse putat, sed Nazarethi primum extare cœpisse: ut unus supremus sit Deus Pater. Hinc Filium Dei è cælo descendisse, cum Catholicis confiteri renuebat, & dicebat Jesum Christum è terra ortum fuisse, ut referunt in Synodica sua Patres secundæ Synodi Antiochenæ.

Denique Leontius lib. de sectis, actione 3. refert Paulum à Sabellio circa Trinitatem discrepasse in quod Sabellius eundem dicebat esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Deumque rem trini nominis appellabat, nullam prorsus esse trinitatem statuens: Paulus verò eundem dicebat esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; sed Patrem aiebat illum esse Deum, qui omnia creasset; Filium, parum illum hominem (Christum scilicet); Spiritum, illam gratiam, quæ super Apostolos venerit. His adde, quod Sabellius dicebat Verbum, imò & Patrem passum esse, quod negabat Paulus.

Pauliani seu Paulianistæ, à Paulo Samosateno magistro suo sic dicti, corrupto recto de Trinitate dogmate, formam quoque baptismi corruperunt. Unde à Nicæna Synodo can. 19. decretum ut Pauliani, redeuntes ad Ecclesiam, baptizarentur. Testatur hoc S. Augustinus in lib. de hæc. 44. Istos sanè Paulianos, inquit, baptizandos esse in Ecclesia Catholica, Nicæno Concilio constitutum est. Unde credendum est eos regulam baptismatis non tenere, quam secum multi heretici, cum de Catholica discederent, abstulerunt, eamque custodiunt.

Sæculo quarto nefandam Sabellii hæresim de una & solitaria in Deo persona professus est Photinus, Marcelli Ancyranæ discipulus, & aliquando Diaconus, postea ad Syrmiensem Episcopatum promotus, eloquentia atque doctrina præstans, proptereaque populo gratissimus, qui rectam fidem oppugnare cœpit sub medium hujus sæculi, & Pauli Samosatani erroribus omnibus, quos amplexus est, unum addidit. Fatebatur enim Samosatenus Christum natum esse ex Maria Virgine; ipse verò de Joseph & Maria natum impiè assererat, teste Mario Mercatore in dissert. de 12. anathem. Nestorii. Perperam autem nonnullis dicitur omosion constanter tenuisse: Verbum enim non ενυποστατον, sed merè prolativum asseruit sine propria hypostasi, & Filium Dei ante Mariam extitisse negavit, ut constat ex Anathematismis Syrmienensibus contra ipsum editis: quomodo ergo Filium Patri omosion defendere potuit, in sensu scilicet Patrum Nicænorum?

Damnatus fuit ann. 347. in Concilio Mediolani celebrato; anno 349. in altera Synodo Mediolanensi, à qua abdicatus est; ann. 351. in Syrmienfi Synodo, à qua iterum exauctoratus; & in conventu aliquot Episcoporum, à Basilio Ancyrano, cui Constantinus Imperator munus cum ipso disputandi imposuerat, superatus, jussu Imperatoris, ad quem à Synodi Syrmienensis sententia appellaverat, tandem Sede pulsus est: cum antea pelli non potuisset à Mediolanensis Concilii legatis, populo, nimium illius studio, seditionem movente.

De Photino sic loquitur S. Augustinus lib. de hæc. 45. Photinus ab Epiphonio non continuo post Paulum, sive pro Paulo, sed aliis interpositis, ponitur: non taceatur tamen similia credidisse, secundum aliquid tamen adversatus ei dicitur; sed quid sit ipsum aliquid, omnino non dicitur. Philaster autem continuasim ponit ambos sub singulis & propriis numeris, quasi hæreses duas, cum dicat Photinum in omnibus Pauli secutum fuisse doctrinam. Ex S. Epiphonio lib. 2. contra hæc. 71. Photinus, ex quo sunt Photiniani, in hoc tempore floruit, & Episcopus sanctæ Catholice Ecclesie fuit. Afferit autem hic ab initio Christum non esse, verum à Maria, & huc usque ipsum existere, ex quo Spiritus Sanctus, inquit, supervenit in ipsam, & genitus est ex Spiritu Sancto, &c. Quibus verbis Photinus à S. Epiphonio asseritur esse confessus Christum ex Maria Virgine. In quo

quo S. Epiphanius contradicit Mario Mercat. affirmanti Photinum impiè dixisse Christum ex Maria & Joseph, & in hoc tantum puncto, quantum attinet ad incarnationis mysterium, à Photino dissensisse Nestorium, confitendo Christum ex Virgine Maria natum.

Hoc eodem sæculo impurissima novorum Gnosticorum lues per Hispanias grassata est, Priscilianistarum scilicet, sic dictorum à Prisciliano, viro nobili, opibus, ingenio, & facundia florente, qui plurimum tum è plebe, tum è nobilitate sibi adjunctis, cum muliercularum ad ipsum confluentium caterva, laicus nefandam instituit sectam, ad quam defecerunt Instantius, Salvianus, Symposius, & Dictinius Episcopi. A duobus prioribus Priscilianus creatus Episcopus, cum ad declinandum Burdigalensis Concilii iudicium, provocasset ad Maximum Imperatorem, Treviris, ipsum acculantibus Idacio & Itrathio Episcopis, ab Evodio Præfecto, viro acri & severo, nefandorum scelerum reus pronuntiatus, capite plexus est cum discipulorum suorum primariis, iussu Principis.

Priscilianistarum impia dogmata recenset S. Augustinus lib. de hæc. 70. *Priscilianistæ*, inquit, quos in Hispania Priscilianus instituit, maxime Gnosticorum & Manicheorum dogmata permixta sectantur, &c. De Christo Sabellianam sectam tenent, eundem ipsum esse dicentes, non solum Filium, sed etiam Patrem, & Spiritum sanctum. Contra Priscilianistas celebrata sunt multa Concilia, nempe Caesaraugustanum, Toletanum I. ann. 400. in quo Symposius & Dictinius Priscilianistas pravos sensus depofuere, & Priscilianum cum erroribus ejus damnare; duo alia Concilia S. Leonis temporibus, unum ab Episcopis Galiciæ, alterum verò ab Episcopis Provinciarum Tarraconensis, Carthaginensis, Lusitanæ & Boeticæ celebratum: in hoc posteriori contra Priscilianistas regula fidei cum aliquibus capitulis Toletano I. assutis confcripta est, ut testatur Lucetius Bracarenfis Episcopus in Concilio Bracarenfi I. in quo etiam capitula septemdecim edita sunt contra hæresim Priscilianis, ex quibus patet Priscilianum non solum Sabellii & Manichæi, sed etiam Pauli Samosatani & Photini impia dogmata amplexum esse.

Sæculo decimo sexto ante medium, hæreses Sabellii, Pauli Samosatani, & Photini revixere in Servetianis, sic dictis à suo Magistro Serveto, natione Hispano, qui ann. 1553. vivus Genevæ, Calvinò de latore, combustus est. Tria autem docebat. 1. Nullam in Deo personarum distinctionem esse. 2. Christum ante incarnationem non exstitisse, nisi in idea Dei. 3. Christo divinitatem à Deo communicatam fuisse, non per æternam generationem, sed per gratiæ unctionem, & inhabitationem; proindeque Christum posse dici Deum, sed diminutè, nempe Deum factum & temporaneum.

Hos Serveti errores hoc eodem sæculo, plurimis aliis suppetaditis, propugnavit Faustus Socinus, natione Italus, ann. 1539. Senis natus, moribus quidem elegans & urbanus, sed planè illiteratus. Ab eo nomen accepit secta Socinianorum, qui & Unitarii, & Fratres Poloni nuncupati sunt.

ARTICULUS II.

Probatur contra Sabellianos pluralitas Personarum divinarum ex veteri Testamento.

GENÈS. c. I. Deus hominem conditurus, sic loquitur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Quibus verbis apertè exprimitur plurimum inter se consultatio, & quidem eorum, qui opus, de quo facta est deliberatio, condiderunt. Atqui opus illud, nempe homo, à Deo conditum est, ut patet ex verbis subsequentiis: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum*. Ergo reperitur in Deo pluralitas personarum, & quidem sine pluralitate essentiarum, seu naturarum, ut patet ex eo quod Deus dicit: *Ad ima-*

ginem & similitudinem nostram, non, *Ad imagines & similitudines nostras*.

Nec audiendi sunt cavillantes Judæi, qui respondent Deum secum ipsum loqui, aut Angelos alloqui. Nam 1. ut rectè notat S. Basilius hom. 9. in Hexæmeron, *Quis faber, aut ararius, aut lignarius, solus ipse quidem, nec alio quoquam sibi cooperante stipatus, interque sue artis instrumenta desidens, sibi ipse admurmurat, dicens, Faciamus gladium, aut compingamus aratrum; ac non potius silentio, suam, cum li- buerit, accommodatam ad artem, exequitur operationem? Sunt enim insignes profecto nugæ, unum aliquem inveniri, qui sibi imperet, sive præceptorem desideret, ac heriliter se ipsum vehementerque urgere & adhortari*.

2. Deus Pater hic alloquitur illum, vel illos, cui, vel quibus dicit, *Ad imaginem nostram*. At non una & eadem est imago Dei Patris & Angelorum. Ita differit S. Basilius loco citato. *Considera, inquit, quod continenter sequitur, Ad imaginem nostram. Quid ad hæc dicere paras? Num una & Dei & Angelorum imago est? Prorsus Filii Patrisque forma ut sit, necesse est. Formam hic ut intelligamus necesse sit, quæ divinam addecat majestatem, hoc est, non lineamentis constantem corporeis, sed in peculiari numinis proprietate consistentem. . . . Cui dicit, Ad imaginem nostram? cui, queso te, alii, quàm ei qui splendor est gloriæ, & figura substantiæ ejus, qui est imago Dei invisibilis? Suae igitur imagini propriæ, quæ vivit, quæ dixit: Ego & Pater unum sumus; & Qui me vidit, vidit Patrem; hinc dicit: Faciamus hominem ad imaginem nostram*.

Nec minùs explodendi Rabbinii, asserentes Deum hic loqui in plurali numero, ad commendandam auctoritatem suam. Nam 1. hic nulla subest causa commendandæ auctoritatis divinæ. 2. Deus in divinis Scripturis ferè semper loquitur in singulari numero, præterim ubi commendat auctoritatem suam; ut quando dicit, *Ego Dominus. Ego sum Dominus. Ego Dominus Deus vester*, &c. Nec pluraliter aliquando loquitur, nisi ad significandam personarum pluralitatem; vel, quod eodem redit, ad significandum omnem divinam operationem ad extra tribus personis esse communem.

Porrò vocem hanc, *Faciamus*, inter veteres alii sumperunt pro voce Patris ad Filium, ut Basilius loco citato, & Faustinus Diaconus, *Non est, inquit, anius persone dicere: Faciamus ad imaginem, & similitudinem nostram; sed neque diverse deitatis. Nam pluralitas horum verborum, id est, Faciamus, & Nostram, Patris & Filii personas significat. Quod autem singulariter imaginem dicit, una Deitas, una virtus utriusque persone manifestatur. Alii verò sumperunt pro voce Patris ad Filium, & Spiritum Sanctum, vel potius pro voce tribus Personis communi, ut Theodoretus qu. 19. in Gen. Dum, inquit, dixit Deus, communionem divine nature indicavit: subjungens autem illud, *Faciamus*, expressit numerum personarum. Similiter cum iterum singulari numero dixit, *Imaginem*, eandem esse naturam ostendit. Non enim dixit, *Ad imagines*, sed, *Ad imaginem*. Cum autem dixit, *Nostram*, numerum hypostaseon manifestavit*.

Psal. 2. dicitur: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te*. Et Psal. 44. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ*. Et Psal. 109. *Dixit Dominus meus Domino meo: Sede à dextris meis*. Hos autem Psalmos de Christo Filio Dei, seu de Verbo incarnato intelligendos esse, manifestum est ex epistola ad Hebræos cap. 1. Ergo non est una & eadem persona Patris & Filii, seu Verbi. Nam 1. una & eadem persona non potest simul esse generans & genita. 2. Non potest una & eadem persona nisi infusè se ipsam alloqui, & sibi dicere: *Sede à dextris meis*; vel: *Filius meus es tu*; vel: *Ego hodie genui te*. 3. De una & eadem persona dici non potest, *Unxit te Deus Deus tuus*: unus enim & idem non potest esse Deus sui ipsius.

Deni-

Denique personarum divinarum trinitas non obscure innuitur c. 6. Isaia, ubi dicitur: *Clamabant* (Seraphim) alter ad alterum, & dicebant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*. Quid enim huius vocis *Sanctus* trina repetitio, cum singulari nomine *Dominus*, aliud significat, quam tres esse personas divinas in una essentia? Sed audiamus S. Ambrosium in verba laudata sic differentem lib. 2. de fide ad Gratianum c. 4. *Quid sibi vult, sub uno nomine sanctitatis, trina repetitio? Si trina repetitio, cur una laudatio? Si una laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur, nisi quia Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sanctitate unum sunt? Non dixit semel, ne Filium sequestraret; non bis, ne Spiritum prateriret; non quater, ne creaturas contingeret; & ut ostenderet trinitatis unam esse deitatem, cum tertio dixisset, Sanctus, Sanctus, Sanctus; addidit singulariter, Dominus Deus Sabaoth. Ecce S. Ambrosius ex verbis Prophetæ colligit personarum divinarum numerum trinum cum unitate essentiae.*

ARTICULUS III.

Probatur contra Sabellianos pluralitas Personarum divinarum ex novo Testamento.

Testimonia novi Testamenti triplicis generis sunt: alia enim distinctionem Patris à Filio, alia Patris vel Filii à Spiritu Sancto, alia denique trium personarum distinctionem probant. Aliqua ex ordine referemus.

Primi generis est, Joan. c. 1. ubi dicitur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiae & veritatis. Quibus verbis persona Verbi à persona Patris aperte distinguitur. Nam 1. dicitur, quod Verbum erat apud Deum. Nemo autem apud se ipsum esse dicitur.*

2. Dicitur, quod vidimus gloriam Verbi quasi unigeniti à Patre. Nemo autem dici potest sui ipsius Filius, & à se ipso unigenitus.

3. Dicitur, quod Deus erat Verbum, & quod erat in principio apud Deum, proindeque dicitur, quod in principio Deus erat apud Deum. At si Verbum divinum esset in corde Patris sine propria & distincta hypostasi, male diceretur, quod Deus erat apud Deum, ex eo quod Verbum erat apud Deum: sicut ex eo quod verbum seu sermo mentalis hominis est in corde hominis, male diceretur, quod homo est apud hominem: quia scilicet verbum mentale hominis, quod est in corde hominis, non est aliquid vivens, & per se subsistens, sed solum alicujus viventis & per se subsistentis motus & tendentia.

4. Denique dicitur: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus.* Quæ omnia propriam & distinctam Verbi hypostasim significant: nam si in principio Verbum erat apud Deum sine propria & distincta hypostasi, non de illo, sed de Deo Patre, apud quem erat, dici debuit, quod viderimus gloriam ejus: nam si Verbum divinum non *enypostaton*, sed merè prolatitium est, nihil habere potest suum, quia non est sui juris; sed quicquid est, totum est alterius, nempe hypostaseos Patris, cujus est prolatio.

Argumentatur ex laudato textu Tertullianus lib. contra Praxeam c. 21. in hunc modum: *Nam si hæc non aliter accipi licet, quam quomodo scripta sunt, indubitanter alius ostendatur, qui fuerit à principio, alius apud quem fuit: alium sermonem esse, alium Deum, licet & Deus sermo, sed quæ Dei Filius, non*

quæ Pater: alium per quem omnia, alium à quo omnia. Alium autem quomodo dicamus, sepe jam edidimus; quo alium necesse est, non eundem, alium autem, non quasi separatum, sed dispositione alium, non divisione. Hic ergo factus est caro, non ipse cuius est sermo. Huius gloria visa est, tanquam unicus à Patre, non tamquam Patris.

Eodem textu Sabellianos oppugnat S. Athanasius in oratione, quam adversus illos edidit. *Si Deus, inquit, Verbum in mente habet, non autem re vera ex ipso genitum, ut Deum ex Deo, quomodo esse poterit apud Deum, Verbum? aut quomodo Deus fuerit? non enim verbum in mente hominis conceptum, homo est apud hominem, cum nec videat, nec subsistat, sed vivi dumtaxat & subsistentis pectoris motus sit, quod mox ut enunciatum est, non subsistit, & sepe vocatum, nequaquam permanet: cum contra Psalmista vociferetur, Dei Verbum in aeternum permanet, & in ea re illi suffragator & consonus Evangelista est, cum Verbum Deum esse profiteretur, & manifestatum eum annunciat, & advenisse indicat, & incarnatum predicat, non comprehendens unam cum Verbi incarnatione ipsum Patrem. Verbum enim caro factum est, &c.*

Personarum Filii & Patris distinctionem & essentiae unitatem, ex his ipsis Christi verbis Joan. c. 10. *Ego & Pater unum sumus*, luculenter probat S. Ambrosius lib. 3. de Spir. Sanct. c. 18. his verbis: *Cum dicit, Ego & Pater, revelatur aequalitas. Cum dicit, Unum sumus, unitas declaratur. Aequalitas confusionem excludit, unitas separationem: aequalitas Patrem, Filiumque distinguit: unitas, Patrem, Filiumque non separat. Ergo cum dicit, Ego & Pater, Sabellianum repellit, quia alium se, alium Patrem dixit. Repellit Photinianum, quia se cum Deo Patre junxit. Illos superioribus repellit, quia dixit, Ego & Pater; inferioribus Arianos, quia dicit, Unum sumus. Tamen & in superioribus, & in inferioribus hereticam jugulat sevitatem: Sabellianorum, quia Unum dixit sumus, non, Unus sumus; Ariatorum, quia Ego, & Pater, non, Pater, & ego, dixit.*

Christus igitur, Ambrosio interprete, dicendo, *Ego & Pater, non, Pater & ego*, revelat se Patri æqualem esse, proindeque se ab eo hypostasi distinctum, quia aequalitas plurium est, & nemo sibi ipsi æqualis dicitur. Item dicendo, *Ego & Pater unum sumus*, non, *Unus sumus*, simul revelat sui & Patris & unam esse essentiam, & non unam esse personam. Nam si non est una Patris & Filii essentia, Pater & Filius non unum sunt; & si una est Patris & Filii persona, Pater & Filius unus sunt, vel potius, unus est.

Ex iisdem Christi verbis pressius adhuc argumentatur S. Augustinus tract. 35. in Joan. ubi sic ait: *Non dixit: Pater ego sum; aut, Ego & Pater unum est: sed cum dicit, Ego & Pater unum sumus, utrumque audi: & unum, & sumus; & à Charybdi & à Sylla liberaberis. In duobus istis verbis, quod dixit, Unum, liberat te ab Ario: quod dixit, Sumus, liberat te à Sabellio. Si unum, non ergo diversum. Si sumus, ergo & Pater, & Filius. Sumus enim non diceret de uno, sed unum non diceret de diversis.*

Eodem illo cap. 10. Joan. personarum pluralitatem, & essentiae unitatem Christus inculcat his verbis: *Pater in me est, & ego in Patre. Quod reperit cap. 14. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est: Ergo Pater & Filius sunt duæ personæ: non enim potest dici unus & idem esse in se ipso; & multò minùs potest dici per conversionem. Sic v.g. de uno & eodem individuo humano, duobus nominibus, putà Joannis & Jacobi, nuncupato, non nisi ineptè & nugatoriè diceretur: Joannes est in Jacobo, & Jacobus in Joanne. Dualiterem igitur personarum manifestè significant verba Christi.*

Sed nec obscure indicant unitatem essentiae: quid enim aliud est, Patrem esse in Filio, & Filium in Patre, quam Filium esse perfectè talem, qualis est Pater, & unam ac eandem esse Patris & Filii formam? Audiamus S. Athanasium in oratione contra Sabellianos: *In Patre Filium esse, & Patrem in Filio, hoc nihil est aliud,*

aliud, quam illum, qui ex Deo genitus est, naturaliter ealem esse, qualis est genitor Pater, eundemque ostendere paternam formam in se, & se vicissim ostendi in paterna substantia. Unus igitur & unus, dualitas, non divisa est natura, cum sit indeficiens ad suam integritatem. Univerſa enim plenitudo & integritas deitatis est Pater ut Filius: quandoquidem amorum una forma intelligatur, quæ integrè se in utroque & solidè exhibet.

Secundi generis sunt ista, quæ leguntur Joan. c. 14. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dedit vobis... Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum... Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quaecumque dixerit vobis. c. 15. Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, quia à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et c. 16. Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos... non loquetur à semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur... ille me clarificabit, quia de meo accipiet.

Ex his autem textibus habemus, 1. Spiritum sanctum esse personam: attribuantur enim illi officia, quæ convenire non possunt, nisi rei per se subsistenti, 2. Esse personam distinctam à persona Patris: nam dicitur dari à Patre, mitti à Patre, & procedere à Patre. Nemo autem mittitur, aut procedit à se ipso. 3. Esse personam distinctam à Persona Filii: nam dicitur mitti à Filio, accipere à Filio, & audire à Filio, quæ in unam & eandem personam cadere non possunt. Præterea, Filius de illo manifestè loquitur tamquam de alia & distincta persona.

Tertii generis est illud, quod habetur Matth. cap. ult. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quo textu probatur in Deo unitas naturæ, & trinitas personarum: cum enim dicitur, in nomine, & non, in nominibus, significatur una esse virtus & operatio, proindeque una natura; & cum distinctè appellantur Pater, Filius, & Spiritus sanctus, significatur personarum distinctio, seu ternarius numerus. Unde S. Athanasius sic Sabellianos urget in oratione contra illos edita: Nullus repudiatus hanc Trinitatem, unitatem existimet se invenire posse, sed in Trinitate unum existimet, habens summam fidei in baptismo, & tribus signaculis sanctis, per quæ in salutem regeneratus est. Et Pelagius in sua ad Childebertum Regem epistola hæc scribit: In nomine, inquit, non nominibus, ut & unum Deum per indistinctum divini essentie nomen ostenderet, & personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret.

Eiusdem generis est, & quidem apertissimum testimonium 1. Joan. c. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Cum enim dicitur, tres sunt, & additur, hi tres unum sunt, non verò, unus sunt, nullus planè relinquitur tergiversandi locus circa ternarium numerum personarum divinarum in essentia & naturæ unitate. Hunc autem textum citat S. Cyprianus in lib. de unitate Ecclesiæ. De Patre, inquit, & Filio, & Spiritu sancto scriptum est: Et hi tres unum sunt. Et Victor Afer lib. 3. de Vandalica persecutione, ubi sic loquitur: Ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre & Filio Spiritum sanctum doceamur, Joannis Evangelistæ testimonio comprobatur. Ait enim: Tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Citant etiam plures alii.

Dices cum Socinianis. Hic textus, Tres sunt, &c. non est Scriptura canonica: non enim scriptus fuit à Joanne, sed multis post sæculis ejus Epistolæ insertus est. R. neg. Prob. Nam 1. hic textus non legitur in Græcis Codicibus. 2. Nec reperitur in multis veteribus Codicibus Latinis. 3. Patres antiqui, ut Ambrosius, Augustinus, & Leo Magnus, qui contra Sabellianos, Arianos, & Macedonianos disputarunt, numquam eo

us sunt; cum tamen vel solus ad convincendos hæreticos sufficeret. Ergo, &c.

R. ad 1. neg. hunc textum in nullis Codicibus Græcis legi. Verum quidem est non legi in omnibus Græcis exemplaribus, at in multis legitur; & Robertus ex vetustis exemplaribus sexdecim, ex Gallia, Italia, & Hispania collectis, observavit septem tantum versiculorum illum non habere. Non legitur autem in omnibus exemplaribus Græcis, quia initio ab aliquibus Amanuensibus, olcitanter transcribentibus, fuit prætermisus. Quod facile contingere potuit ex eo quod versiculus 7. & 8. c. 5. Epist. Joan. iisdem planè vocibus incipiunt, & desinunt. Vers. 7. dicitur: Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt: vers. 8. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt. Quis autem non videt, olcitanem Amanuensensem, hoc vers. 7. Quoniam tres sunt, qui testimonium dant, initio descripto, redeundo ad exemplar, quod habebat præ oculis, facile incidere potuisse in hæc verba vers. 8. in terra, spiritus, aqua, &c. ea que continenter describere, eo, quod ex vers. 7. reliquum erat, prætermisso?

R. ad 2. re vera versiculum 7. capitis 5. Epist. Joan. non reperiri in multis vetustissimis exemplaribus Latinis; sed hoc ita evenisse, quia aliqui Græcum sermonem Epistolæ Joannis in Latinum convertentes, usi sunt imperfectis exemplaribus Græcis. Præterea, versiculus ille 7. in multis ejusdem ætatis exemplaribus Latinis suppletur ad marginem, & in recentioribus omnibus legitur, quamvis non semper septimus, sed è contra sapissimè octavus tantum legatur.

R. ad 3. antiquos illos Patres, qui hoc textu contra Trinitatis hostes non sunt usi, non usos esse, vel quia præmanibus non habuerunt integros Codices, vel quia prævidebant hæreticos cavillandi occasionem arrepturos ex eo, quod hic textus non adesset in omnibus codicibus, vel etiam fortasse, quia non erat illis omnino explorata versiculi hujus authenticitas, quæ tamen nunc absque nota hæresis in dubium revocari non potest, post decretum Concilii Tridentini de Scripturis Canonis, ubi Epistolæ Joannis cum omnibus suis partibus, prout legi consueverunt in Ecclesia, sacre & canonice declarantur. Hic autem versiculis, de quo agitur, in Ecclesia publicè legitur in Dominica in Albis.

Præterea, versiculum hunc citant etiam antiquissimi Scriptores non pauci, ut Cyprianus, & Victor Uticensis, quorum loca jam laudavimus. Quibus accedunt Eugenius Carthaginensis in professione fidei, quam suo, & aliorum Africæ Episcoporum Catholicorum nomine Hunerico Regi obtulit, & quæ extat apud Victorem loco supra citato; Hieronymus in prologo Epistolarum Canonicarum, & Athanasius lib. 1. ad Theophilum de unitate deitatis, ubi sic ait: In hoc exemplo veritatis... nomina personarum evidenter sunt ostensa, & unitum nomen naturale clausè est declaratum, dicente Joanne Evangelistæ in epistola sua: Tres sunt, qui testimonium dicunt in cælo, Pater, & Verbum, & Spiritus, & in Christo Jesu unum sunt; non tamen unus est, quia non est eorum una persona, &c.

ARTICULUS IV.

Quod sint in Deo tres Personæ, realiter inter se distinctæ, constans fuit traditio priorum trium Ecclesiæ sæculorum.

Rob. Nam 1. S. Dionysius Alexandrinus in epistola quam suo & Alexandrinæ Ecclesiæ nomine scripsit ad Paulum Samosatenum, sic loquitur: Christus non solo nomine, sed veritate est Christus Jesus, qui est ante sæcula Verbum, ipse factus est Homo, ex Maria incarnatus... tu es unus non capientium... Cogitans contra Dominum, qui est Pater Christi, & contra Christum ejus, qui est Christus, Dei virtus, sapientia Patris, qui est Verbum sempiternum. Cum enim esset æternus, factus

factus est puer... jam antequam in sedem Antiochenam occupares, littere nostra omnibus presbyteris hac declarant... *Forma Dei, Verbum ejus, & sapientia Filius Dei, & Deus ipse, semper existens una persona, & una hypostasis personae... Forma Dei & Verbum cum ipso Deus & Filius Dei, Verbum Patris est, quod per se est. Et sic confessi sunt Sancti Patres, & ut confiteremur, ac crederemus, nobis tradiderunt... Quomodo ais tu, hominem esse eximium Christum, & non revera Deum, & ab omni creatura cum Patre & Spiritu sancto adoratum, incarnatum ex sancta Virgine & Deipara Maria?... Unus est Christus, qui est in Patre, coaeternum Verbum, una ejus persona, Deus invisibilis, & visibilis factus... Una & sola Virgo filia vite genuit Verbum vivens, & per se subsistens, increatum & Creatorem... Desertum dicis eum, qui erat natura Dominus, & Verbum Patris, per quem omnia Pater fecit, & quem sancti Patres Omoïouïon Patri vocaverunt. De Deo enim nos docuerunt.*

Ecce Dionysius, 1. apertissime confitetur Verbum per se subsistens, & in propria hypostasi, Patri consubstantiale & coaeternum, ex Virgine Maria secundum humanitatem in tempore natum. Apertissime confitetur tres in Deo personas, Patrem, Filium seu Verbum, & Spiritum sanctum, simul ab omni creatura adorandas, utpote aequalis inter se dignitatis, proindeque unius & ejusdem essentiae. 2. Testatur se ita à Patribus seu Doctoribus Ecclesiae doctum esse, ut ita crederet, & hanc fidem profiteretur, à Sanctis Patribus accepisse, sanctos Patres ita confessos esse. Erat igitur, teste Dionysio, tunc temporis, & consequenter ante quartum saeculum, unanimis & constans sanctorum Patrum & Ecclesiae Catholicae Doctorum sententia, quod Verbum divinum sic *enypostaton*, Patri *omoïouïon* & coaeternum; quod tres sint in Deo personae, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, per se subsistentes in una & eadem essentia seu natura.

2. Episcopi, qui in causa Pauli Samosatani prima vice Antiochiam convenerant, in epistola, quam ad illum initio Synodi perscripserunt, sic loquuntur: *Decevimus fidem scripto edere & exponere, quam à principio accepimus, & habemus traditam, servatam in Catholica & sancta Ecclesia usque in hodiernum diem, à Beatis Apostolis, qui viderunt ipsi, & ministri fuerunt Verbi, predicatam ex Lege & Prophetis, ac novo Testamento. Fides igitur, quam scripto tradidit & exposuit, fuit à principio, hoc est, ab Ecclesiae institutione tradita, à beatis Apostolis predicata, & in universa Ecclesia constanter eoque temporis conservata; scribebant autem tertio saeculo ad finem vergente.*

Hanc autem fidem exponunt in hunc modum: *Esse unum Deum ingenitum sine principio, invisibilem, immutabilem, quem nullus hominum vidit, neque videre potest; ejus gloriam, vel amplitudinem intelligere, aut enarrare, pro dignitate, ut in re & veritate est, humana natura non potest: notionem vero ejus utcumque mediocrem si habemus (revelante Filio ejus, sicut ait, Nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui Filius revelaverit) contenti esse debemus. Hunc autem Filium genitum, unigenitum, imaginem Dei invisibilis, primogenitum omnis creaturae, sapientiam, & verbum, ac virtutem Dei ante saecula, non praecognitione, sed substantia & hypostasi Deum Dei Filium cum in veteri & novo Testamento cognoverimus, confitemur & predicamus. Qui autem contradicit Filium Dei non esse Deum ante constitutionem mundi, dicitque credere & confiteri duos praedicari Deos, si Filius Dei praedicetur Deus; hunc alienum esse ab ecclesiastica regula arbitramur, & omnes Ecclesiae Catholicae nobiscum consentiunt.*

Haec igitur fuit trium priorum Ecclesiae saeculorum fides, ab ipsis Ecclesiae incunabulis Fidelibus tradita, ab Apostolis predicata, ab omnibus particularibus Ecclesiis sine ulla intermissione custodita, quam qui impugnaret, ab ecclesiastica regula alienus statim censeretur, videlicet unum esse Deum Patrem, ingenitum, & ab eo principio, invisibilem, immutabilem, & incomprehensibilem; & Filium, genitum, unigenitum, pro-

indeque unicum Filium, ante omnem creaturam genitum, Dei invisibilis imaginem, Dei Patris sapientiam, verbum, & virtutem ab aeterno per se subsistentem, utpote ab aeterno substantia & hypostasi Deum, & Dei Filium, unum cum Deo Patre Deum. Nulla autem in hac fidei professione specialis mentio fit Spiritus Sancti, quia edita fuit contra caput haereticos Pauli Samosatani, Verbum divinum dicentis *anypostaton* in aeternitate, & merè prolatitium, & Christum ab aeterno fuisse Deum sola praecognitione & praedestinatione, non substantia & hypostasi propria, & distincta ab hypostasi Dei Patris.

Porrò ex duobus testimoniis allegatis habemus saltem, universae Ecclesiae ab Apostolorum praedicatione ad quartum usque saeculum fidem fuisse, quod in Deo sint duae personae, Pater, & Filius seu Verbum, per se subsistentes, consubstantiales, & coaeternae, sive ab aeterno propriam & distinctam habentes hypostasim in unitate essentiae & naturae: quarum prima, nempe Pater, ingenita est, proindeque caret omni principio tam intrinseco, quam extrinseco: secunda verò, nempe Verbum, est genita, ac proinde principium habet, non extrinsecum, sed intrinsecum, cui immanet propter unitatem essentiae, nempe Patrem, cujus filius est, imago, verbum, sapientia, & virtus, ut dicunt Patres Antiocheni. Quod autem primitiva Ecclesia in Deo praeter Patrem & Filium crediderit aliam tertiam personam, nempe Spiritum sanctum, duabus prioribus coaeternam, & ab illis realiter hypostasi, non essentia & natura distinctam, ex duobus subsequentibus testimoniis demonstrabitur.

3. Igitur S. Athanasius in epistola ad Serapionem, scripta contra eos, qui dicunt Spiritum sanctum esse creaturam, postquam ex Scripturis fuse probavit Spiritum sanctum nihil commune aut peculiare habere naturae & substantiae ad res creatas, sed diversum ab illis esse, propriumque, & nihil alienum esse à substantia Filii & deitatis, per quam unus est ex trinitate: ut idem probet amplius, ad fidem & doctrinam primitivae Ecclesiae convertitur. *Videamus tamen, inquit, adhuc illam ipsam ab initio traditionem, & doctrinam, & fidem Catholicam Ecclesiam, quam Christus quidem dedit, Apostoli vero praedicaverunt, & Patres custodierunt. In hac enim Ecclesia fundamur, & qui inde excidit, Christianus non poterit dici.*

Deinde hanc Ecclesiae Catholicae traditionem, doctrinam & fidem, quam Ecclesia Catholica ab initio aeternus constanter tenuerat, acceptam à Christo, praedicatam ab Apostolis, & à sanctis Patribus strenue defensam & conservatam, exponit his verbis: *Trinitas igitur sancta & perfecta in Patre, & Spiritu sancto, sancto divinitatis honore dignata, nihil alienum, aut foris superinductum possidet, neque ex creatore & creatura consistit, sed tota est ex creatore & conditorum, sibi similis, & natura indivisibilis, unaque ejus operatio; Pater enim per Verbum in Spiritu sancto omnia facit. Atque ita unitas trinitatis servatur, & ita unus Deus in Ecclesia praedicatur, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus... Trinitas autem est non nomine tenus, aut inani dictionis specie, sed veritate, & subsistendi ratione trinitas. Ut enim Pater est, hoc ipsum quod est, ita quoque Verbum super omnia Deus, hoc ipsum est quod est; ita quoque Spiritus sanctus non inessentialis quiddam est, sed existit, & subsistit verè.*

Unde inferius sic prosequitur: *Qui dividit Filium à Patre, aut Spiritum ad creaturas detrabit, neque Filium habet, neque Patrem, sed impius est sine Deo, & infideli deterior. & quidvis potius quam Christianus, idque jure. Ut enim unum baptismus est, quod in Patre, & Filio, & Spiritu sancto traditur, unica fides est in eam, ut dixit Apostolus; ita quoque sancta Trinitas, ipsa in se consistens, & in se unita, nihil in se habet rerum conditarum. Et haec est Trinitatis indivisa unitas, & una in eam fides est. Et adhuc inferius: Concorditer ergo ex sacris litteris ostenditur, Spiritum sanctum creaturam non esse, sed proprium illum & suum esse verbi & deitatis Patris. Ita enim*

san-

sanctorum doctrina in sanctam & indivisibilem Trinitatem in unum coit, ac conciliatur, atque ea una fides est Catholica Ecclesia. Et prope finem: Ego secundum Apostolicam à Patribus acceptam fidem ista tradidi, nihil prorsus aliunde adiciens; sed sicuti didiceram, ea scripsi, quæ cum sacris Scripturis congruerent.

Teste igitur Athanasio, hæc una fuit ab initio fides Ecclesiæ Catholicæ, hæc una traditio & doctrina, à Christo data, ab Apostolis predicata, à sanctis Patribus & Ecclesiæ Doctoribus ab initio fideliter & unanimiter custodita, quam ipse in sanctorum Patrum & Ecclesiæ Doctorum scriptis legerat, & didicerat, videlicet quod in Patre, Filio, & Spiritu sancto sit sancta & perfecta trinitas. Quod hæc trinitas non sit nomine tenus, & inani dictionis specie; sed verè, & subsistendi ratione trinitas, quia Pater est res per se subsistens; Filius, res per se subsistens; Spiritus sanctus, res per se subsistens: ita ut Pater non sit Filius, aut vicissim; neque Pater & Filius, Spiritus sanctus, aut vicissim. Quod in hac trinitate nihil creaturæ admixtum est, sed è contra tota est rerum creator & conditor. Quod hæc trinitas sit planè indivisa & indivisibilis, quia trium personarum una est natura, virtus, & operatio; nec una persona sine aliis operatur, aut operari potest ad extra. Unde in hac trinitate unitas perfectissima reperitur, & hæc trinitas unus Deus est, non plures.

4. S. Basilus lib. de Spir. sanct. disputans de divinitate Spiritus sancti, & de hac formula: *Cum Spiritu*, qua in solempni glorificatione utebatur, reclamantibus aliquibus, qui aut malè sentiebant de Spiritu sancti divinitate, & ita illum volebant duabus aliis personis exæquari, aut si rectè sentiebant, volebant formulam hanc, *Cum Spiritu* omitti, eo quod in divinis Scripturis non invenitur; dicit ad probandam illam, traditionem sufficere posse. *Si nihil aliud est*, inquit, c. 29. *receptum absque Scripturis, ne hoc quidem recipiatur: sin plura arcana citra scriptura recepta sunt à nobis, cum aliis pluribus & hoc recipiamus. Arbitror autem apostolicum esse, eam non scriptis traditionibus inherere... quam maxime una est, & hæc de qua nunc agimus, quam qui ab initio præscripserunt, tradideruntque posteris, usque semper simul cum tempore progrediente, per longam consuetudinem in Ecclesiis altis radicibus defixerunt.* Et allegatis aliquot priorum temporum Patribus, sic prosequitur: *Igitur apud cordatos homines ad purificationem mei sufficiunt hæc quæ dicta sunt, quod recipimus vocem adeo gratam & amicam sanctis, & insuper tam diutino usu comprobata, quæ ex quo tempore est annuntiatio Evangelium usque ad præsens, demonstratur in Ecclesiis usitata fuisse.*

Teste igitur S. Basilio, hæc formula glorificationis, *Gloria Patri & Filio cum Spiritu sancto*, quæ cum istis convertitur, *Gloria Patri & Filio in Spiritu sancto*, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, ut ipse observat c. 25. & 27. & qua ipse in sua Ecclesia solemniter utebatur, frementibus nonnullis, quod sic Spiritus sanctus Patri & Filio jungeretur & exæquaretur, fuerat ab initio præscripta ab Apostolis, & tradita fidelibus atque usu semper cum tempore progrediente, per longissimam & numquam intermissam consuetudinem in Ecclesiis altis radicibus defixa, utpote ex quo tempore Evangelium fuerat prædicatum usque ad ipsius Basilii tempora, in Ecclesiis constanter usurpata. Totis igitur tribus prioribus Ecclesiæ sæculis, teste S. Basilio, constans mos Ecclesiarum fuit Spiritum sanctum simul adorandi & conglorificandi cum Patre & Filio. Unde illud Symboli Constantinopolitani de Spiritu sancto, *Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur*. Hæc enim verba non recentem aliquam, sed vetustissimam & immemorabilem consuetudinem aperte significant. Atqui talis mos aperte supponebat fidem æqualitatis & divinitatis trium personarum, proindeque unitatem personarum in unitate essentiæ & naturæ. Ergo, &c.

His omnibus addere juvat Symbolum illud, quod Apostolicum dicitur, quia auctores habuit Apostolos, ut demonstratur ex S. Irenæo lib. 1. contra hæreses c.

2. Ex Tertulliano lib. de Præscript. c. 13. & 37. & lib. de velandis virginibus c. 1. Ex S. Ambrosio l. 1. epist. 7. ad Siricum, &c. Hoc symbolum fuit veluti tessera & signum militare, quo ii, qui Christo nomen dederant, ab Ecclesiæ incunabulis & deinceps dilecti fuerunt ab ethnicis, & militia Christianæ desertoribus. Totis ergo tribus prioribus Ecclesiæ sæculis, sicut & sublevis omnibus hæcenus temporibus, fuit hoc Symbolum in ore omnium, qui verè, & non tantum nomine tenus Christiani essent.

In hoc autem Symbolo dicitur: *Credum in unum Deum, Patrem omnipotentem.... Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum..... Et in Spiritum sanctum*. Quibus sanè verbis continetur eadem fides, quæ in forma Baptismi, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Hoc enim Symbolum proponebatur Catechumenis, & ab eis exigebatur ejus professio ante baptismum. Quilibet igitur Catechumenus, antequam initiaretur baptismo, fidem suam exterius profitebatur, dicendo: *Credo in unum Deum, &c.* tum trina in aquam immersione baptizabatur *in nomine Patris, & Filii, & Spiritu sancti*, in quos scilicet se credere modò palam professus erat. Atqui his verbis, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, manifestè continetur fides Trinitatis Personarum divinarum in una & eadem essentia divina. Ergo, &c.

ARTICULUS V.

Eadem traditio trium priorum Ecclesiæ sæculorum declaratur amplius aliquot testimoniis Patrum, qui tunc temporis in Ecclesiis floruerunt.

Primo sæculo Clemens Romanus in sua ad Corinthios epistola sic loquitur: *An non unum Deum habemus, & unum Christum, & unum Spiritum gratie effusum in nos?* Ejusdem Clementis hæc verba, *Sicut Deus, & Dominus Jesus Christus, & Spiritus sanctus*, refert S. Basilus lib. de Spir. sanct. c. 29. Clemens autem uno & eodem tenore Patrem, Filium, & Spiritum sanctum pronuncians, non solum eorum inter se distinctionem, sed etiam æqualitatem & omotimiam significat.

Huic sæculo, sicut & sequenti, accenseri potest S. Polycarpus Martyr, verè Apostolicus vir, non solum ab Apostolis edoctus, & conversatus cum multis ex eis, qui Dominum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea, quæ est Smyrnis, Ecclesiæ constitutus Episcopus..... qui docuit semper, quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesia tradidit, & sola sunt vera, ut refert S. Irenæus lib. 3. c. 3. Hanc autem ultimam ad Deum martyrium jam jam subiturus fudit orationem, in qua expressa SS. Trinitatis simul adorandæ & conglorificandæ continetur invocatio: *Deus, dilecti & benedicti Filii tui Jesu Christi Pater, per quem tui agnitionem suscepimus... benedico te.... Verus es tu, & sine mendacio Deus; propterea & in omnibus laudo te, & benedico te, & glorifico te per æternum Deum & Pontificem Jesum Christum, dilectum Filium tuum, per quem, & cum quo tibi cum Spiritu sancto gloria, & nunc, & in futura secula, Amen.* Hæc autem oratio habetur in Actis ejus martyrii, apud Eusebium lib. 4. histor. Eccl. c. 14.

Secundo sæculo Athenagoras Atheniensis Philosophus Christianus, in legatione pro Christianis, Trinitatis mentionem facit his verbis: *Est Filius Dei, Verbum Patris in idea & operatione. Ab ipso enim & per ipsum omnia facta sunt, cum sit unum Pater & Filius; & sit in Patre Filius, & Pater in Filio, unitate & veritate Spiritus.* Sic autem loquendo, agnoscit in Deo tres, non nomine tenus, sed secundum rei veritatem personas, Patrem, Filium, & Spiritum: sunt tres inquam, sola subsistentia & hypostasi, non natura: dicit enim unum esse Patrem & Filium unitate Spiritus, qui scilicet utriusque Spiritus est. At si Pater & Filius unum sunt unitate Spiritus, Spiritum ipsum unum esse cum Patre

Patre & Filio necesse est. Igitur juxta Athenagoram, Pater, Filius, & Spiritus sanctus unum sunt, non unus; tres & unum sunt, tres quidem substantia, unum natura, seu essentia.

Tertio saeculo Tertullianus in libro contra Praxeam, qui unicum Deum non alias putabat credendum, quam si ipsum, eundemque Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum diceret, ita differit c. 2. Unicum quidem Deum credimus, sub hac tamen dispensatione, quam oikonomia dicimus, ut unici Dei sit & Filius sermo ipse, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Hunc missum à Patre in Virginem, & ea natum hominem & Deum; filium hominis & filium Dei, & cognominatum Jesum Christum. Hunc passum, hunc mortuum & sepultum secundum Scripturas, & resuscitatum à Patre, & in caelos resumptum, sedere ad dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos. Qui exinde miserit secundum promissionem suam à Patre Spiritum sanctum Paracletum, sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.

En expressissima confessio trinitatis personarum in unitate deitatis. Juxta Tertullianum, unus est Deus Pater. Unus filius & sermo Patris, à quo per generationem processit, & qui per eum omnia condidit, post incarnationem non solum Deus, sed etiam homo; non solum Filius Dei, sed etiam Filius hominis. Unus denique Spiritus sanctus, à Patre & Filio missus, proindeque procedens ab utroque, sanctificator eorum, qui sincere credunt in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, ac proinde sanctificator eorum, qui in ipsum credunt, quod auctoritatem significat. Auctoritative autem sanctificare, proprium divinitatis est; & qui, quod proprium divinitatis est, habet, ipsam quoque divinitatem habere necesse est. Juxta Tertullianum igitur, non solum Pater, sed etiam Filius & Spiritus sanctus divinitatem habent; & quia non sunt plures dii, sed unus est, una trium est divinitas. Tertullianus igitur aperte confitetur Deum unum & trinum, unum in divinitate, trinum in personis.

Quod confirmatur ex verbis subsequenter eod. cap. Quasi, inquit, non sic quoque unus sit omnia, dum ex uno omnia, per substantia scilicet unitatem: & nihilominus custodiatur oikonomia sacramentum, qua unitatem in trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Tres autem non statu, sed gradu: nec substantia, sed forma: nec potestate, sed specie: unius autem substantia, & unius status, & unius potestatis: quia unus Deus, ex quo & gradus isti, & forma, & species, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti depurantur. Itaque juxta Tertullianum, Deus unus est, quia una est substantia divinitatis, & trinus, quia una illa substantia dispensatur in tres. Unde in Deo reperitur unitas cum pluralitate: unitas quidem, propter unitatem substantiae; pluralitas verò, non propter distributionem; nam substantia divina divisionem non patitur; sed propter dispensationem hujus unitatis in plures. In Deo tres sunt, gradu, forma & specie; forma quidem & specie, quia unus Pater est tantum, alter tantum Filius, tertius tantum Spiritus; gradu verò, quia unus primus est, nempe Pater, qui principium non habet; unus secundus, quia à solo Patre procedit; unus denique tertius, nempe Spiritus, qui procedit à Patre & Filio. At illi tres unum sunt statu, substantia, & potestate, quia unius sunt status, substantiae, & potestatis; & unius sunt status, substantiae, & potestatis, quia unus Deus ex intrinseca secunditate, absque ullo unitatis detrimento, habet in se distinctos illos gradus & formas, seu species, Patrem scilicet, Filium, & Spiritum sanctum.

Sed audiamus adhuc Tertullianum c. 8. sic loquentem: Nec dubitaverim Filium dicere & radicis fructum, & fontis fluxum, & solis radium: quia omnis origo parens est; & omne quod ex origine profertur, progenies est: multò magis sermo Dei, qui etiam proprie nomen Filii accepit: nec frutex tamen à radice, nec fluxus à fonte, nec radius à sole di-

scernitur, sicut nec à Deo sermo. Igitur secundum horum exemplorum formam, profiteor me duos dicere, Deum, & sermonem ejus, Patrem, & Filium ipsum. Nam & radix & frutex duae res sunt, sed conjunctae; & fons & fluxus duae species sunt, sed indivisae; & sol & radius duae formae sunt, sed coherentes. Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit ejus necesse est, de quo prodit, non ideo tamen est separatum. Secundum autem ubi est, duo sunt; & tertius ubi est, tres sunt. Tertius enim est Spiritus à Deo & Filio, sicut tertius à radice, fructus ex frutice; & tertius à fonte, rivus ex fluxu; & tertius à sole, apex ex radio. Nihil tamen à matrice alienatur, à qua proprietates suas ducit. Ita Trinitas per confertos & connexos gradus à Patre decurrens, & monarchia nihil obstrepat, & oikonomia statum protegit.

Juxta Tertullianum, seclusus imperfectioibus, quae reperiuntur in creaturis, & in Deo locum habere non possunt, quod semper suppleri debet, Pater se habet ad modum radices, Filius ad modum fructus, & Spiritus sanctus ad modum fructus: Filius est à Patre, ut frutex à radice; Spiritus sanctus à Filio, ut fructus à frutice; & ita sicut frutex prius est à radice, quam fructus à frutice, Filius origine prius est à Patre, quam Spiritus sanctus à Filio; similiter sicut frutex est de substantia radices, & fructus de substantia fructus, ita Filius est de substantia Patris, & Spiritus sanctus de substantia Filii: imò sicut una est substantia radices, fructus, & fructus, ita una est substantia Patris, & Filii, & Spiritus sancti; cum hoc tamen discrimine, quod una est substantia radices, fructus, & fructus per extensionem ejusdem substantiae materialis, & plures in partes divisibilis; Patris verò, Filii, & Spiritus sancti una est substantia, per admirabilem communicationem ejusdem substantiae, summè simplicis, inextensibilis, & impartibilis, quae proinde vel tota, vel nullatenus communicatur. Una est substantia Patris, Filii, & Spiritus sancti, quia Pater per generationem communicat Filio totam suam substantiam, quam totam Spiritui sancto communicat Filius per inspirationem, sibi cum Patre communem.

Pater tamen, Filius, & Spiritus sanctus sunt tres res, tres formae, seu species, sed conjunctae & indivisae; sicut radix, frutex, & fructus sunt tres res, tres formae, seu species conjunctae & indivisae: cum hac tamen differentia, quod radix, frutex, & fructus sint tres res conjunctae per solam sensibilem partium ejusdem substantiae materialis continuitatem; Pater verò, Filius, & Spiritus sanctus sunt tres res conjunctae per summam unitatem ejusdem substantiae immaterialis, simplicis, inextensibilis, & indivisibilis, quae tribus communis est.

Pater est primus, Filius secundus, & Spiritus sanctus tertius, quia Pater à nullo, Filius à Patre, Spiritus sanctus à Patre & Filio origine posteriori, quam Filius à Patre: quod enim procedit à non procedente, secundum est; & quod procedit à secundo, tertium est. Igitur in Deo tres sunt, quia ubi sunt primus, secundus, & tertius, ibi tres esse necesse est. Sed tres sunt sine discretione, divisione, separatione, quia secundus & tertius unum sunt cum primo: sicut radix, frutex, & fructus tres sunt sine discretione, divisione & separatione, quia frutex & fructus unum sunt cum radice; cum eadem tamen disparitate, quae superius exposita est. In Deo igitur monarchia conciliatur cum oeconomia, quia in Deo tres sunt unius status, unius substantiae, unius potestatis. In Deo monarchia est, quia una est substantia, una potestas. Est etiam oeconomia, quia una substantia & potestas dispensatur in tres, tota scilicet à primo ad secundum, & à secundo ad tertium decurrens. Deus igitur unus est & trinus; unus quidem propter monarchiam, seu unitatem substantiae & potestatis; trinus verò propter oeconomiam, seu unitatis substantiae & potestatis dispensationem, dispositionem, ordinem in primo, secundo, & tertio.

Eandem personarum divinarum trinitatem in unitate substantiae brevius expressit c. 9. his verbis: Ego dico alium esse Patrem, & alium Filium, & alium Spiritum. Male accepit idiotae quisque, aut perversus hoc di-

ctum,

etiam, quasi diversitatem sonet, & ex diversitate separationem (hoc est, substantiarum discretionem) portendat Patris, & Filii, & Spiritus.

Eod. tertio saeculo S. Gregorius Thaumaturgus, Neocaesariensis Episcopus, hanc fidei expositionem scripto reliquit, quae expressissimam SS. Trinitatis fidem continet: Unus Deus Pater Verbi viventis, sapientia subsistentis, & virtutis suae, & figure, perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, figura & imago deitatis, verbum perpetrans, sapientia comprehendens omnia, & virtus, qua tota creatura fieri potuit, Filius verus veri, & invisibilis ex invisibili, & incorruptibilis ex incorruptibili, & immortalis ex immortali, & sempiternus ex sempiterno. Unus Spiritus sanctus, ex Deo substantiam habens, & qui per Filium apparuit, imago Filii perfecti, perfecta viventium causa, sanctitas sanctificationis praestatrix, per quem Deus super omnia & in omnibus cognoscitur, & Filius per omnes. Trinitas perfecta, maiestate, & sempiternitate, & regno minime dividitur, neque abalienatur. Igitur neque factum quid, aut serviens in trinitate, neque superinductum, tanquam antehac quidem non subsistens, postea vero superingressum, Neque ita desuit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus sanctus, sed invertibilis, & immutabilis eadem Trinitas semper.

Hanc fidei expositionem à Joanne Evangelista, jubente B. Virgine, doctum fuisse Gregorium Thaumaturgum, Gregorius Nyssenus testatur in ejus laudatione. In illa autem Gregorius Thaumaturgus, non solum trium personarum distinctionem, sed etiam illarum perfectam inter se aequalitatem confitetur; Filio ac Spiritui sancto attribuit ea, quae soli divinitati convenire possunt; & à SS. Trinitate omne creatum atque temporaneum removeret,

ARTICULUS VI.

Eadem traditio trium priorum Ecclesiae saeculorum probatur denique argumento prescriptionis.

Certissimum est universam Ecclesiam saeculo tertio fidem Dei unius in essentia, & trini in personis professam esse. Ergo eandem fidem professam etiam est duobus prioribus saeculis, & consequenter tribus primis saeculis universae Ecclesiae fides fuit, quod Deus sit unus in essentia, & trinus in personis. Duo sunt in antecedente, nempe certum esse, quod Ecclesia universa tertio saeculo crediderit Deum esse trinum in personis, & quod Deum trinum in personis crediderit nihilominus unum esse in essentia.

Primum itaque probatur, 1. Ex facto Praxeae. Cum enim Praxeas in eunte tertio saeculo Romam venisset sub Zephyrino Pontifice, & Patrem, Filium, ac Spiritum sanctum esse rem trinominem tantum, palam dicere coepisset, hanc doctrinam, ut impiam novitatem, damnare iussus & coactus est; imò & Pontifici exhibere chyrographum, in quo emendationem suam profitebatur, à se inventam novitatem damnabat, & Ecclesiae se obsecuturum, ejusque doctrinae constanter adhaerurum pollicebatur. Nemo tamen tunc Praxeae patrocinium suscepit, nemo Zephyrinum improbavit. Quod tamen, nisi tunc de Praxeani dogmatis impietate constitisset, multi fecissent, & inter alios proculdubio Tertullianus, tunc Montanista, & Catholicis, ac maxime Romanis insensibilissimus. Imò verò cum aliquantò post Praxeas, qui simulatè tantum, & ne ipse damnetur, opinionem suam damnaret, iterum, deposita larva, erupisset, Tertullianus in eum, ut veritatis Catholicae hostem, insurrexit, & ejus dogmata integro libro confutavit, in quo dicit eum haeresim intulisse, & vocat eum hesterum Praxeam, propter doctrinae novitatem. Denique lib. de Praescript. c. ult. illum aliis haeticis accenset his verbis: *Post hos omnes etiam Praxeas quidam haeresim introduxit, quam Victorinus corroborare curavit. Hic Deum Patrem omnipotentem Jesum Christum esse dicit; hunc crucifixum passumque contendit; mortuum praeterea se ipsum sibi* Siraanet Theol. Tom. I.

sedere ad dexteram suam, cum prophana & sacrilega temeritate proponit. Haec autem, nemine reclamante, scribebat, & vulgabat Tertullianus. Imò Tertulliano expressè suffragatus est S. Cyprianus in epist. ad Jubajanum, ubi Praxeam cum suis gregariis sub Participassionum nomine annumerat ceteris haeticorum pestibus, & gladiis ac venenis subvertentibus veritatem.

Prob. 2. Ex facto Sabellii: nam cum Sabellius hoc eodem saeculo circa annum 57. Praxeum dogma disseminare coepisset in Lybia, S. Dionysius Alexandrinus, coacta Alexandria Synodo, hominem ut haeticum, & divinitatis inimicum abdicavit, ut referatur in libello synodico, variisque scriptis doctrinam ejus ut impiam & blasphemam insecutus est. De ea sic loquitur apud Eusebium lib. 7. hist. c. 5. in quadam sua ad Xistum Romanum Pontificem epistola: *Quod autem dicam de ea doctrina, quae apud Ptolomaida Pentapoleos civitatem nuper exorta est, plena blasphemii in Deum Patrem, & Dominum nostrum Jesum Christum, negans esse verè eum Filium Patris, nec primogenitum omnis creature, simul & sancti Spiritus auferens intellectum? Pro quibus cum utraque partes ad me venissent, & praesentibus fratribus, quae commota fuerant, discussissent, etiam litteris, prout Deus dedit parvitati meae, persecutus sum, & scripsi, singula quaeque diligenter exponens, quorum tibi exemplaria transmissi.*

Ex his aperte habetur Dionysium Alex. opinionem Sabellii de Trinitate, ut plenam blasphemiam, in Episcoporum conventu damnavisse, & scriptis litteris diligenter confutasse, quarum exemplaria ad Xistum Pontificem, ut supremum depositi fidei custodem transmissit. His autem acceptis litteris, Sedes Apostolica non modò causam Sabellii contra actorem Dionysium non suscepit, sed è contra ipsum, ut rectè fidei adversantem, & Filium ipsum asserendo esse Patrem, & è converso Patrem esse Filium, blasphemantem proscriptis, ut ex Dionysii Romani, successoris Xisti, epistola, infra citanda, manifestè colligitur.

Prob. 3. Ex facto Pauli Samosatensis, qui eodem saeculo post annum sexagesimum Sedem Antiochenam occupavit. Cum enim rumor percrebuisse, ipsum dicere Christum purum hominem, alios Sabellii errores profiteri, atque cum ipso asserere unicam & solitariam in Deo personam seu subsistentiam, Episcopi Catholici magno numero undique semel atque iterum Antiochiam convenere. In prima quidem Synodo, ut jam superius dictum est, edita professione fidei, in qua plures in Deo hypostases confitebantur, ipsi Paulo aut sensus suos subdole occultanti, aut emendationem pra se ferenti, hac vice pepercunt: at in altera Synodo, cum tandem à Malchione Presbytero, & scholae Antiochenae Magistro convictum, quod ab regula Ecclesiastica desiscens, ad falsas & adhaerinas doctrinas transisset, anathematizarunt, & exautorarunt, ut patet ex epistola, à Synodo scripta ad omnes Catholicae Ecclesiae Episcopos, quos huic sententiae acquievisse dubium esse non potest.

Secundum, nempe quod Ecclesia tertio saeculo Deum trinum in personis crediderit nihilominus unum esse in essentia, *Prob. 1.* ex facto Dionysii Alexandrini: Contra placita Sabellii in Pentapoli graffantis, epistolam scripserat ad Ammonium & Euphranorem. Pentapolitani nonnulli, Catholici, & circa fidem rectè sentientes, quae ex causa, & quo animo scripta fuisset haec epistola ignari, judicarunt Dionysium in ea non solum personarum, sed etiam naturarum distinctionem asserere. Romani itaque descenderunt, ibique apud Dionysium Romanum Pontificem, Alexandrinum Dionysium accusarunt, quod ex unius haeresis refellenda praetextu, aliam non minus perniciosam haeresim induceret. Hac de re Romanus Dionysius ad Alexandrinum scripsit, iussitque ut se purgaret. Paruit Alexandrinus, & innocentiam suam probavit, atque objectum sibi violatae fidei crimen diluit: postulatis enim à Romano Praefule, & ab eo acceptis iis, quae sibi Romae objecta fuerant, opus edidit sub nomine

Athan. epist. de sententia Dionysii Alex.

L

Elen-

Elm-bi & Apologia, ubi sceleratam officinam Christi rebellium redarguit, & quo pacto hanc infamiam contra ipsum excitarent, demonstrat. Ex quibus verbis colligitur Pentapolitanos illos, qui Romam descenderant, à malevolis & Sabellianis hominibus incitatos fuisse ad accusandum Alexandrinum Episcopum, quem cum Romanus Episcopus ex scriptis ejus comperisset rectè sentire de Trinitate, & solam hypostaseon, non essentiarum distinctionem asseruisse & asserere, orthodoxum pronunciavit: Alexandrinus enim Episcopus, post hanc accusationem sibi intentatam, mansit in communione Ecclesiae, in eaque defunctus est.

Prob. 2. Ex facto Dionysii Romani, quem ex occasione accusationis Alexandrino intentatae, facto Episcoporum conventu, eos, qui personas divinas non solum hypostasi, sed natura & essentia dividerent, damnaſſe, colligitur, 1. ex Athanasio, loco ad marginem citato, ubi ait: Porro ex Dionysii Romani voluminibus, contra eos, qui Filium Dei opus aut creaturam asseverant scriptis, clarè ostenditur haereticum Christo rebellium Arianorum non jam primum, sed olim ab omnibus damnatum fuisse, Romano scilicet Pontifice judicio suo praesente.

2. Ex verbis ipsiusmet Dionysii Romani, relatis ab Athanasio in lib. de decretis Synodi Nicenae. Deinceps, inquit, adversus eos dicam, qui dividunt, & fecant, & evertunt religiosissimum dogma Ecclesiae Dei; monarchiam in tres quasdam virtutes partientes, & divinas hypostases ac deitates tres. Nam audia quosdam apud vos esse, institutores & doctores divini verbi, qui illius opinionis auctores sunt, quae ex diametro, ut sic dicam, pugnat cum Sabellii placitis. Hic enim blasphematur, Filium ipsum asserens esse Patrem, & è converso Patrem esse Filium. At isti tres quodammodo Deos praedicant, dum sanctam monadem dividunt in tres hypostases peregrinas, à se invicem plane separatas. Etenim necesse est uniri omnium Deo Dei Verbum, & in Deo manere, & habitare Spiritum sanctum. Jam vero divinam quoque Trinitatem in unum, velut in caput quoddam, ac summam, Deum universum colligi, & coalescere, prorsus est necesse. Quippe Marcionis est insani dogma, in tria principia secare, ac dividere; quae est diabolica doctrina; non autem eorum, qui re vera discipuli sunt Christi, & Salvatoris disciplina delectantur. Nam hi Trinitatem ab Scriptura sacra praedicari plane intelligunt: tres autem Deos neque in veteri, neque in novo testamento doceri.

Ex hoc vel solo testimonio apparet universae Ecclesiae saeculo tertio fidem fuisse, quod tres sint in Deo personae, unam essentiam habentes. Ibi enim summus Ecclesiae Pontifex Dionysius expressè affirmat, Sabellium, asserendo unam & eandem esse hypostasim Patris & Filii, blasphemare; eos qui dicunt non solum tres hypostases, sed etiam tres essentias, religiosissimum dogma Ecclesiae Dei evertere; eorum, qui Deum in tria principia secant, dicendo tres naturas, doctrinam esse diabolicam, non christianam; eos denique, qui Salvatoris disciplina delectantur, & re vera Christi discipuli sunt, proindeque vera Ecclesiae Romana membra, propter divinas Scripturas credere personarum trinitatem in unitate divinitatis, credere tres personas divinas, unum Deum; tres, inquam, personas propter triplicem substantiam, unum Deum propter unam in triplici substantia deitatem.

Adhuc tamen ex dictis haecenus hoc art. sic argumentor. Qui saeculo tertio negarunt personarum divinarum trinitatem, infamati sunt ut haeretici, ut prophanae & sacrilegae novitatis auctores, ut falsa & adulterinae doctrinae sectatores, ut contra fidem blasphemantes. Item hanc suam doctrinam ab Ecclesia coacti sunt ejurare, & oppositam profiteri. Item in contumacia sua perseverantes, damnati, praecisi, & exauctorati sunt. Ergo negare personarum divinarum trinitatem, falsum, sacrilegum, prophanum, blasphemum, verbo divino contrarium censebat Ecclesia saeculo tertio, & consequenter se-

culo tertio, quod personae divinae sint tres, fuit dogma Ecclesiae.

Similiter, qui saeculo tertio dicebant in Deo non solum personas tres, sed etiam tres naturas, damnabantur ut evertores dogmatis Ecclesiae Dei, & doctrinae diabolicae defensores, atque inobedientes Christo. Item qui de hac doctrina insimulabantur, cogebantur rationem reddere fidei suae; & si in fidelium communione manere vellent, innocentiam suam purgare, obiectum sibi crimen diluere, & ad hunc finem apologias condere, in quibus ostenderent se tenuisse & tenere oppositam doctrinam, se non plures, sed unam tantum in Deo essentiam & docuisse & docere. Ergo manifestum est, quod trinitatis personarum divinarum una sit tantum essentia, Ecclesiae dogma fuisse saeculo tertio.

Jam sic relinquo. Quod sint tres in Deo personae, fuit Ecclesiae dogma saeculo tertio. Ergo fuit etiam saeculo secundo. Nam si alia fuit Ecclesiae doctrina saeculo secundo, saeculo tertio mutata est doctrina Ecclesiae. Atqui hoc dici non potest. 1. Enim dici non potest, quo hujus saeculi tempore, quo auctore, quae ex occasione vel causa, in qua regione inducta sit haec mutatio. 2. Si talis mutatio re ipsa hoc saeculo facta est, jam omnes Ecclesiae post medium saeculi, ut patet ex Conciliis Antiochenis contra Paulum Samosatenum celebratis, pervalerat, nemine reclamante: nam reclamationis contra talem mutationem facta nullum erat vestigium. Atqui quod in tantam & tam perniciosam mutationem, ac corruptionem doctrinae Catholicae tam brevi tempore, tanta facilitate, & consensione conspiravit omnes omnino Ecclesiae, omnes omnino Ecclesiae Praeules atque Doctores, prorsus incredibile est, Ergo, &c.

Præterea, si talis mutatio facta est saeculo tertio, certè dici debet facta sub Zephyrino Pontifice, qui Praxeam dicentem unicam in Deo hypostasim, compulsi ad publicam sui dogmatis retractationem, & ad exhibendum chyrographum, in quo tres personas confiteretur. At quis ausit asserere sanctissimum illum Pontificem Ecclesiae doctrinam corrupisse; quis tantum ei scelus in tota antiquitate impexit? Quomodo Tertullianus Monranista, in Zephyrinum ob concessam mœchis publicis, acta publica poenitentia, veniam, tot congestis conviciis, tantum violatae fidei crimen silentio praetermisit? Imò quomodo Zephyrini factum approbavit, contra Praxeam ut sacrilegae novitatis auctorem scribendo, eumque ceteris haeticis, qui contra Ecclesiam eatenus insurrexerant, accensendo?

Denique quod Zephyrinus tres personas defendendo, non mutavit Ecclesiae doctrinam, novitatem inducendo, sed antiquam & ab Apostolis traditam doctrinam propugnari, testatur ipse Tertullianus lib. contra Praxeam c. 1. cum de Praxeae dicit: *Iste primus ex Asia hoc genus pervertitatis intulit Romano humo.* Itaque, Tertulliano teste, ante Praxeam nemo Romae docuerat unicam in Deo esse hypostasim, & eatenus Praxeantum dogma inauditum fuerat in Ecclesia Romana, proindeque eatenus semper & ab omnibus in Ecclesia Romana praedicata fuerat & credita personarum divinarum trinitas. Ergo circa trinitatem personarum divinarum eadem fuit Ecclesiae doctrina tertio & secundo saeculo. Ergo etiam primo. Nam si alia fuit Ecclesiae doctrina saeculo primo, facta est in illa mutatio secundo saeculo; quod non potest dici; alioquin dicatur, quandonam, quo auctore, quo sub caelo coeperit? quomodo Ecclesiae partes omnes, nemine contradicente, pervaserit? Certè, si haec mutatio secundo saeculo facta est, contigit vivente adhuc Policarpo, qui morti proximus, personarum divinarum trinitatem & aequalitatem elata voce confessus est, adstantibus magno numero Ethnicis, Judaeis, & Christianis. Quomodo ergo vit tantus, ab Apostolis edoctus, & conversatus cum multis ex eis, qui Dominum viderunt, ut testatur alicubi S. Irenaeus, in pravam adeo & impiam mutationem consensit? & si consensit, quomodo-

quomodo de illo dicere potuit Irenaeus: *Hic docuit semper, quae ab Apostolis didicerat, quae ab Ecclesia tradidit, & sola sunt vera?* Ergo doctrina Ecclesiae circa trinitatem personarum fuit eadem primo & secundo saeculo. Sed etiam eadem fuit, ut ostensum est, secundo & tertio. Ergo quod tres sunt personae divinae, dogma fuit Ecclesiae tribus primis saeculis.

Similiter, quod una sit, non triplex, essentia personarum divinarum, fuit Ecclesiae dogma saeculo tertio, ut demonstratum est. Ergo fuit etiam primo & secundo saeculo. Nam si alia fuit Ecclesiae doctrina primo saeculo, mutata est secundo, vel tertio. Talis autem mutationis, aliquando facta in Ecclesia, nullum indicium proferri potest. Præterea fieri non potuit, in tota præsertim Ecclesia, absque maxima contradictione. Talis autem contradictionis ubinam vel levissimum superest vestigium? Igitur ex dictis hæc tenetis manet probatum, Ecclesiam universalem totis tribus primis saeculis trinitatis personarum divinarum in unitate essentiae fidem habuisse.

ARTICULUS VII.

Denique pluralitas personarum divinarum in unitate essentiae, probatur ex Conciliis generalibus, saeculo quarto & sequentibus in Ecclesia celebratis.

1. Nicaenum Concilium saeculo quarto dicit in Symbolo: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem In unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, ex Patre natum ... Genitum, non factum, consubstantialem Patri & in Spiritum sanctum, Quod symbolum eodem saeculo confirmat Constantinopolitanum I. his verbis: Fidem non violandam Patrum trecentorum decem & octo, qui apud Nicaeam Bythiniam convenerunt, sed manere eam firmam & stabilem, illudque totidem verbis adoptat, nisi quod pro Spiritus sancti divinitate, & ejus ex Patre processione, expresse contra Macedoniam asserenda, addat hæc verba: Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre adorandum & conglorificandum, qui locutus est per Prophetas.*

2. Quinto saeculo Ephesina Synodus act. 6. post relatum Nicaenum Symbolum, prohibet ne quis contrariam huic Symbolo fidem teneat aut doceat: *Hic igitur perlectis, statuit sancta Synodus alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, præter definitam à sanctis Patribus, qui in Nicaea cum Spiritu sancto congregati sunt.* Primæ sessionis initio utrumque Symbolum, Nicaenum scilicet & Constantinopolitanum posuerat pro regula fidei, & decisionis in causa Nestorii faciendæ.

Concilium Chalcedonenſe, eodem saeculo celebratum, utrumque idem Symbolum amplectitur his verbis: *Statuimus igitur, ordinem & omnes fidei formulas custodientes, etiam sanctam Synodum Ephesinam ut præſulgeat quidem recte & inculpabilis fidei expositio trecentorum decem & octo sanctorum, qui in Nicaea sub Constantino pie memorie Imperatore convenerunt. Contineatur & centum quinquaginta Patrum sanctorum in urbe Constantinopolitana decretum, ad peremptionem quidem sectarum tunc pullulantium, confirmationem vero ipsius Catholice atque Apostolice nostrae fidei.*

3. Saeculo sexto Conc. Constantinop. II. act. 6. laudat & approbat utrumque idem Symbolum in hunc modum: *Sufficeret quidem ad plenissimam pietatis agnitionem & confirmationem sapientissimum hoc divine gratiae Symbolum: de Patre enim & Filio & Spiritu sancto doctrinam perfectam edocet, & incarnationem Domini fideliter suscipientibus manifestat. Sed quoniam hi, qui prædicationem veritatis destruere nituntur, quasdam per proprias hereses vocum novitates paraverunt ... idcirco omnem adversus veritatem opponendam ab ipsis machinationem volens excludere hæc sancta & magna universalis Synodus, antiquam prædicationem immobilem docens, statuit præcipue trecentorum decem & octo sanctorum Patrum fidem incontinenti.* Simomet Theol. Tom. I.

natam manere. Et propter eos, qui Spiritui sancto adversantur, Patrum paulo posteriore tempore in urbe Constantinopolitana centum quinquaginta convenientium, de substantia Spiritus sancti traditam doctrinam corroboravit.

4. Saeculo septimo Conc. Constant. III. act. 17. de utroque eodem Symbolo similiter loquitur: *Sufficebat quidem ad perfectam orthodoxae fidei cognitionem atque confirmationem, pium atque orthodoxum hoc divine gratiae Symbolum &c.*

5. Octavo saeculo Concilium Nicaenum II. sex priora & hæc tenetis laudata Concilia confirmat his verbis: *Igitur cum omni diligentia perscrutantes & investigantes, juxta scopum veritatis nobis propositum, nihil adjicimus, nihil demimus: sed cuncta Ecclesia Catholica dogmata conservamus, sex universalibus Conciliis inherentes, eorum acta comprobamus, principio secundum Synodum in splendida Nicaea congregatam, inde in regia urbe, credimus in unum Deum Patrem, &c.*

6. Saeculo nono Conc. Constant. IV. actione 10. sic ait: *Credimus in unum Deum in tribus consubstantialibus & divinis ac principalibus personis ... unum quidem & singularem Deum secundum rationem substantiae, trinum autem vel tria, secundum rationem personarum predicamus.*

7. Saeculo decimo tertio Conc. Lateranense IV. sic pronunciat cap. 1. *Firmiter credimus & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus & immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: tres quidem personae, sed una essentia, substantia seu natura simplex omnino. Pater à nullo, Filius autem à solo Patre, ac Spiritus sanctus ab utroque pariter, absque initio semper, & sine. Pater generans, Filius nascens, & Spiritus sanctus procedens: consubstantiales & coaequales, coomnipotentes & coaeterni, unum universorum principium. Vide etiam cap. 2.*

8. Denique saeculo decimo sexto sacrosancta Tridentina Synodus sess. 3. sic loquitur: *Ante omnia statuit & decernit (Synodus) præmittendam esse confessionem fidei, Patrum exempla in hoc secuta, qui sacrationibus Conciliis hoc scutum contra omnes hereses in principio suarum actionum apponere consueverunt: quo solo aliquando & infideles ad fidem traxerunt, hereticos expugnaverunt, & fideles confirmarunt. Quare Symbolum fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi professentur, necessario conveniunt, ac fundamentum firmum, & unicum, contra quod parte inferi nunquam prevalebunt, totidem verbis, quibus in omnibus Ecclesiis legitur, exprimendum esse censuit, quod quidem ejusmodi est, Credo in unum Deum, &c. Hoc autem Symbolum Constantinopolitanum est cum additione Filioque.*

Conciliorum generalium testimonio adungere possumus Symbolum Athanasianum, quod, quia in omnibus Ecclesiis legitur, qualis sit Catholicae Ecclesiae circa Trinitatis mysterium doctrina, manifestat. In eo autem dicitur: *Fides Catholica hæc est, ut unum Deum in trinitate, & trinitatem in unitate veneremur: neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. Sed Patri, & Filio, & Spiritui sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas.*

Præter generales Synodos possent etiam particulares citari, ut Bracarenſis II. & Toletana III. saeculo 6. Toletana IV. VI. & VIII. saeculo 7. Foro Julienſis saeculo 8. & Vormaciensis saeculo 9. in ejus fidei professione hæc leguntur: *Confitemur & credimus sanctam, atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, unum Deum naturaliter unius substantiae, unius naturae, unius maiestatis, atque virtutis. Omittebam duas Synodos Alexandrinæ, una ante Nicaenum Concilium in causa Arii à S. Alexandro, alteram in causa Nestorii ante Concilium Ephesinum à S. Cyrillo celebratam, in quarum prima dogma Sabellii damnatum est: in altera verò Symbolum Nicaenum*

esse fidem Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, declaratum est.

Ad hæc omnia accedit Patrum consensus, quorum multi de hoc SS. Trinitatis mysterio fusè & accuratè scripserunt, ut Hilarius duodecim libris, Athanasius multis locis, Basilii libris contra Eunomium, Nazianzenus orationibus quatuor, Gregorius Nyssenus orationibus totidem, Chrysostomus homiliis quinque sæculo quarto; Augustinus libris quindecim sæculo quinto; Fulgentius lib. adversus objectiones Arianorum sæculo sexto; Joannes Damascenus lib. 1. de fide, sæculo octavo.

ARTICULUS VIII.

Solvuntur Sabellianorum objectiones.

Obj. 1. Verba illa Isajæ c. 44. *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cælos solus, stabilis terram, & nullus mecum.* Sed si essent tres persone in Deo, non extendisset cælos solus. Ergo non sunt in Deo tres persone, sed una tantum. R. n. min. & dico 1. hanc vocem *Dominus*, supponere pro tribus personis, Patre, Filio, & Spiritu sancto, qui sunt unus Dominus. 2. Per vocem exclusivam *solus*, non excludi consortium personarum divinarum in creando mundo, sed cooperationem Angelorum, & quarumlibet aliarum creaturarum. Ita respondet Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 19. ubi ait: *Quantum ad ceteras virtutes solus, præstans adversus conjecturas hereticorum, qui mundum ab Angelis & potestatibus diversis volunt structum, ... si sic solus extendit, quomodo isti presumunt in perversum heretici, quasi singularis non admittatur sophia illa, dicens: Cum pareret, ego aderam illi simul, ... sed & evangelium recusetur, quod dicat, omnia per sermonem à Deo facta esse, & sine eo nihil factum; nisi enim fallor, & alibi scriptum est: Sermone ejus cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnes virtutes eorum, ... Ita si per Filium omnia; cælum quoque per Filium extendens, non solus extendit, nisi illa ratione, quæ à ceteris solus.* Poterit videri Tertullianus hac voce *Dominus*, solum Patrem intelligere, non etiam alias personas. Quo non obstante, valet adhuc ejus responsio.

Obj. 2. Verba Christi Joan. c. 17. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscat te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Ibi Christus alloquitur Patrem. Ergo solus Pater est verus Deus, & consequenter una tantum est persona in Deo, R. n. conf. Nam Christus non vocat Patrem solum verum Deum, cum exclusione sui, aut Spiritus sancti, sed tantum cum exclusione creaturarum illarum, quibus Gentiles divinitatem falsò attribuebant, & ut deos impie colebant, Imò cum hoc loco semetipsum conjungat cum Patre, quem solum verum Deum appellat, manifestè significat se ejusdem esse cum eo naturæ, seque, cum sit veri Dei verus filius, Deum illum esse, qui solus verus Deus est.

Ita respondet S. Athanasius oratione quarta contra Arianos. *Cum Pater, inquit, solus Deus & verus appellatur, non ad exaltationem ejus appellatur, qui dicit: Ego sum veritas; sed ad demolitionem eorum, qui ex natura tales non sunt, qualis est Pater, & Patris Verbum, neque veri dii sunt. Ita enim illi in more est, in mentione alterutrius se cum Patre conjungere; quale est cum dicit, Et quem misisti Jesum Christum; qui si creatura esset, non ita coaptasset se, aut connumerasse cum suo creatore. Que enim communio, aut societas verò & non verò? Nunc autem qui se coaptat Patri, ostendit se nature Patris esse, deditque nobis, ut illum cognosceremus esse veri Dei verum germen.*

Ex his sic arguuntur breviter, Vel Christus est ejusdem naturæ cum Patre, vel impie hoc loco, & alibi se conjungit cum Patre, & conjungendo illi se exæquat, Creatura enim cum Creatore conjungi, & per hanc conjunctionem ei exæquari non potest sine impietate. Non secundum. Ergo primum. Ergo Chri-

stus verus Deus est, adeoque cum Patrem solum verum Deum appellat, eos tantum removel, quos Ethnici falsò putabant esse Deos, cum essent puræ creaturæ. Rectè igitur sic differit Ambrosius lib. 5. de fide c. 1. *Conjunctione illa & Patrem utrique copulavit & Filium, ut Christum verum Deum à majestate Patris nemo secernat. Nunquam enim conjunctio separat. Et ideo dicendo, Ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum; & Sabellianos interfecit, & Judæos exclusit: ne aut illi eundem Patrem putarent esse, quem Filium, si non addidisset, Et Christum: aut isti à Patre Filium separarent.* Christus igitur, Ambrosio interprete, hoc loco & personarum distinctionem, & essentiarum unitatem probavit; non verò solum Patrem verum esse Deum significavit.

Obj. 3. Verba Apostoli 1. Cor. c. 8. *Nam estis sunt, qui dicantur dii, sive in cælo, sive in terra, siquidem sunt dii multi, & domini multi: nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia; & nos in illum; & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Et illud Ephes. c. 4. *Unus Deus, & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Resp. prioris loci sensum esse, Esti sunt qui dicantur ab Ethnicis dii, sive in cælo, ut sol, luna, stellæ; sive in terra, seu terrestres, ut Neptunus, Jupiter, Apollo, &c. nobis tamen unus Deus, Pater, qui in gloriam suam creavit omnia, &c. Unum igitur Deum Patrem dicit Apostolus, non ut à divinitate removeat Filium & Spiritum sanctum, sed ut Ethnicorum deos excludat. Et verò Apostolus sicut dicit unum Deum Patrem, ita dicit unum Dominum Jesum Christum. Dicendo autem unum Dominum Jesum Christum, non excludit Patrem ab appellatione Domini. Ergo nec excludit Filium ab appellatione Dei, dicendo unum Deum Patrem. Imò sicut ex eo, quod Pater dicatur unus Deus, colligitur illum etiam esse unum Dominum; ita ex eo quod Filius dicatur unus Dominus, rectè colligitur illum esse unum Deum. Itaque & Pater unus est Deus; & unus Dominus; & Filius unus est Dominus & unus Deus; uterque autem unus Deus, & unus Dominus, per exclusionem eorum omnium, qui diversæ sunt naturæ, quales sunt dii omnes Gentilium.

Ex his patet responsio ad alterum textum, & alios similes; cujus responsionis bonitas amplius demonstratur ex eo, quod Apostolus dicendo de Patre, *Ex quo omnia, & de Filio, Per quem omnia*, diserte affirmet, quod sint unum rerum omnium principium. At hoc ipso quod dicit eos unum esse principium rerum omnium, dicit eos unum esse Deum, & unum Dominum. Apostolus igitur non vocat Patrem unum Deum cum exclusione Filii, nec vocat Filium unum Dominum cum exclusione Patris; sed vocando Patrem unum Deum, & Filium unum Dominum, personarum pluralitatem, & unitatem naturæ exprimit, hanc implicite, illam explicite.

Hanc doctrinam tradidit S. Epiphanius hæresi 57. Ubi Nocto textus allegatos objicienti, sic respondet: *Nonne in verbis unum significari principium vides? ne animum nostrum ad plura principia cogitanda converteret, ac mortalium ingenia vanissima illa deorum multitudine decepta, rursus ad eandem asserendam copiam adduceret? Vides enim quomodo uno nomine sit usus, & appellatione ulla, non ut unigenitum Deum abnegaret: Dominum quippe esse illum intelligit, eundemque Deum. Ideo singulari quadam cautione illud adjecit: Et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia. Quod cum voci illi, Dominus, præcipue affinxit; non eundem judicavit esse Patrem, eundemque Filium: nam & cum de Patre loquens, unum Deum esse dixit, nequaquam Filio divinitatem detraxit. Nam si Deus non est, neque Dominus est: cum autem Dominus sit, Deus quoque sit oportet. Et inferius. Neque cum de Patre agens, unus Deus inquit, ex quo omnia, esse illum Dominum negavit. Neque contra subiciens: Et unus Dominus Jesus Christus; hunc esse Deum inficiari voluit. Sed quemadmodum; in Patre,*

una

una appellatione contentus, hoc tantum dixit, Unus Deus, qua voce etiam altera, Dominus, continetur; ita in Filio, unus Dominus, duntaxat expresse: quam voce Dei quoque est appellatio conjuncta.

Obj. 4. Verba Isajæ c. 45. Ego sum Deus, & non est alius præter me. Ergo una tantum persona est in Deo, nempe persona Patris. Resp. n. con. & dico, 1. hoc loco vocem, Ego, supponere pro tota Trinitate, seu pro Patre, Filio, & Spiritu sancto. Hic igitur tres personæ simul loquuntur in singulari numero, propter naturæ divinæ singularitatem, & dicunt idola gentium non esse nisi falsos deos. 2. Etiam si vox, Ego, dicatur supponere pro sola persona Patris, hunc locum pluralitati personarum non officere: non enim dicit Pater, Non est alia persona præter me, sed, Non est alius Deus præter me; quod non excludit aliam personam à persona Patris, sed solum aliam divinitatem à Patris divinitate. Quantumvis igitur supponatur solus Pater hic loqui, non personarum, sed divinitatum pluralitas removeatur, nec negatur, præter personam Patris alias etiam esse personas, quæ sint Deus; sed negatur tantum, alias esse personas, quæ sint alius Deus. Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus. Sed Filius non est alius Deus à Patre, nec Spiritus sanctus alius Deus à Patre & Filio. Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt unus & idem numero Deus, præter quem non est alius, proindeque dii gentium non sunt nisi nomine tenus dii.

Sic respondet Tertullianus lib. contra Praxeam, c. 18. Itaque præter semetipsum non esse alium Deum, hoc propter idololatriam tam Nationum, quam Israelis: etiam propter hæreticos, qui sicut Nationes manibus, ita & ipsi verbis idola fabricant, id est, alium Deum, & alium Christum. Igitur & cum se unum pronunciabat, Filio Pater procurabat, ne ab alio Deo Christus venisse credatur, sed ab illo, qui prædixerat: Ego Deus, & alius absque me non est; qui se unicum, sed cum Filio ostendit, cum quo cælum solus extendit.

Obj. 5. Falsum est, quod Christiani primis Ecclesiæ sæculis fidem Trinitatis personarum professi sint: nam si professi essent, hoc non latuisset Ethnicos, qui inde ansam attulerunt contra Christianos probandi pluralitatem deorum, & christianam religionem, multis contra hoc abstrusissimum mysterium propositis argutiis, exagitandi. At Ethnicos quidquam tale egisse, nullo monumento ostendi potest. Ergo, &c. R. n. obj. Nam Christianos primis Ecclesiæ sæculis fidem Trinitatis professos esse, tot argumentis demonstravimus, ut negari non possit, nisi ab iis, qui quidvis malunt, quam veritati credere.

Ad prob. R. 1. Innumera excidisse, quæ contra religionem Christianam ab Ethnicis scripta fuerunt, partim injuria temporum, partim Christianorum Principum, vel Prelatorum Ecclesiasticorum diligentia. 2. Justinum Martyrem in prima sua pro Christianis Apologia referre Christianos ab Ethnicis insipientiæ insimulari, quod Christum colant tanquam Filium Dei. Sciebant igitur Ethnici Christianos in uno Deo plures personas agnoscere, Patrem scilicet, & Filium. 3. Celsum, Philosophum æthnicum, apud Origenem in libro contra eundem Celsum, ex pluralitate personarum divinarum, quam credebant Christiani, data opera probare pluralitatem deorum.

Obj. 6. Mysterium Trinitatis repugnat huic principio evidenter noto, Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Ergo involvit manifestam repugnantiam. R. n. ant. Ratio negandi est, quia hoc principium locum non habet in iis, quæ sunt eadem uni tertio singulari, communicabili pluribus inter se realiter oppositis, quarque proinde inter se realiter distinguui necesse est, quia idem sibi opponi repugnat: vel, si vis, quod eodem redit, hoc principium locum non habet in iis, quæ sunt eadem uni tertio, communicabili pluribus, quorum unum sit principium alterius, quia repugnat idem esse sui ipsius principium, idem à se ipso procedere.

Obj. 7. Si tres sunt personæ divinæ, tres sunt dii. Falsum consi. Ergo, &c. Neg. seq. maj. Probabit, Si

Simonnet Theol. Tom. I.

tres personæ divinæ non sunt tres dii, sed unus tantum Deus, certè quia una est trium illarum personarum divinitas. Sed hæc ratio nulla est: nam v. g. Petri, Pauli, & Jacobi una est humanitas, & tamen Petrus, Paulus, & Jacobus sunt tres homines. R. n. min. Ad prob. R. dist. Petri, Pauli, & Jacobi humanitas est una unitate convenientiæ & similitudinis, una unitate conceptibilitatis, una unitate logica, & quantum ad conceptum specificum, C. Una est unitate numerica, & singularitatis, N. At trium personarum, Patris, Filii, & Spiritus sancti, una est unitate numerica & singularitatis divinitas, quam Pater Filio per generationem, Filius verò cum Patre Spiritui sancto per spirationem totam communicat. Unde necesse est Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse unum & eundem numero Deum. At Petri, Pauli, & Jacobi non una, sed triplex est numero humanitas. Unde Petrum, Paulum, & Jacobum tres esse homines necesse est. Tot enim sunt homines, quot sunt humanitates numero divise; & consequenter, ubi sunt tres humanitates, ibi sunt tres homines. Sed ubi sunt tres personæ humanæ, ibi sunt tres humanitates. Ergo ubi sunt tres personæ humanæ, ibi sunt tres homines, qui simul tamen sunt unus homo specificè, quia tres, quas habent, humanitates, sunt humanitas una, vel, si vis, sunt unum secundum conceptum genericum & differentialem.

Aliud porro est de Personis divinis: nam ubi sunt tres personæ Divinæ, ibi necesse non est tres esse deos, quia ubi sunt tres personæ divinæ, ibi necesse non est esse tres divinitates: imò quia trium personarum divinarum non potest esse, nisi una & eadem numero divinitas, ubi sunt tres personæ divinæ, non potest esse, nisi unus & idem numero Deus. Non possunt igitur esse, nisi unus & idem numero Deus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quamvis sint personæ tres, ab invicem distincte realiter.

Dices. Patres nonnulli, ut Gregorius Nyssenus in libro ad Ablavium, docent tres personas divinas esse unum Deum, sicut Petrus, Paulus & Jacobus sunt unus homo. Ergo sicut Petrus, Paulus & Jacobus ita sunt unus homo logicè, ut tamen sint tres homines, quia sunt tres personæ humanæ; ita Pater, Filius, & Spiritus sanctus sic sunt unus Deus secundum rationem, ut sint re ipsa tres dii, si sunt tres personæ divinæ. R. Patres illos tunc tantum velle, quod sicut ita Petrus Paulus, & Jacobus sunt unus homo, ut tamen sint tres personæ humanæ, ita Pater, Filius, & Spiritus sanctus sic sint unus Deus, ut tamen sint tres personæ divinæ; ita ut unitas divinitatis non impediatur in Patre, Filio, & Spiritu sancto trinitatem personarum divinarum, sicut unitas humanitatis in Petro, Paulo, & Jacobo, non impedit trinitatem personarum humanarum. Vicissim quod, sicut Petrus, Paulus, & Jacobus ita sunt tres personæ humanæ, ut tamen sint unus homo, ita ut per trinitatem personarum humanarum non impediatur unitas humanitatis in Petro, Paulo, & Jacobo, sic Pater, Filius, & Spiritus sanctus ita sint tres personæ divinæ, ut nihilominus sint unus Deus, ita ut trinitas personarum divinarum non impediatur unitatem deitatis in Patre, Filio, & Spiritu sancto.

Patres autem illi non intendunt instituire omnimodam comparisonem personarum divinarum cum personis humanis, ita ut unitas divinitatis non alia sit in personis divinis, quam unitas humanitatis in personis humanis. Quod evidenter ostenditur de Gregorio Nysseno: nam in orat. catech. c. 3. sic loquitur: *Natura unitas non admittit divisionem: adeo ut neque monarchia dominatus scindatur in diversas dissectus unitates, neque congruat id quod dicitur cum dogmate Judaico. Sed per medium duarum opinionum procedat veritas, & utramque tollens hæresim, & ab utraque accipiens id quod est usui. Nam Judæi quidem dogma tollit, & Verbum admittendo, & credendo Spiritum: eorum autem, qui stant a Grecis, aboletur error multorum deorum; & ea, quæ est secundum naturam, unitate circumscribente, & arcente multorum*

phantasiam. Rursus autem ex Judaica opinione maneat natura unitas: ex eo autem, quod Græci opinantur, sola discretio in hypostasis, impia opinioni congruo adhibito remedio. Est enim veluti quadam medicina, eorum quidem, qui in uno aberrant, numerus trinitatis: eorum autem, qui sunt dispersi in multitudinem, ratio unitatis.

1. Itaque juxta Gregor. Nyss. naturæ divinæ unitas non admittit divisionem, sicut admittit unitas naturæ humanæ: unde naturæ divinæ unitas non scinditur in plures unitates, sicut unitas humanæ naturæ: quia videlicet natura divina non est una eo tantummodo, quo natura humana. Natura enim humana non est una in pluribus personis humanis, nisi unitate collectionis, & logica, quæ in tot unitates numericas scinditur, quot sunt collectionis partes: unde multiplicatis personis humanis, multiplicatur realiter natura humana, & natura humana totuplex est realiter, quoruplex est humana persona. At natura divina in tribus personis divinis una est unitate numerica & singularitatis, quam proinde in alias unitates scindi repugnat; alioqui simul esset unitas numerica & singularis, & non esset. Unde multiplicatis personis divinis, nec multiplicatur, nec multiplicari potest natura divina: neque tot sunt, aut esse possunt realiter naturæ divinæ, quot sunt personæ; proindeque in tribus personis divinis, una est numero & singulariter monarchia, non triplex, quia una est numero & singulariter natura divina, non triplex, & ita tres personæ divinæ sunt unus numero & singulariter monarchia, non tres, quia sunt unus numero & singulariter Deus, non tres.

Hinc, juxta eundem Nyssenum, Catholica veritas media incedit Græcorum errorem inter & errorem Judæorum, cum Græcis asserendo multitudinem, sed in personis tantum; cum Judæis verò unitatem numericam & singularem, sed in natura tantum. Quo pacto utrique errori medetur, ex una parte arcendo naturarum numerum, in quo Græcorum error consistit, ex altera verò unitatem & singularitatem in subsistentia & hypostasi, in quo situs est error Judæorum. Unitas numerica naturæ Græcos, personarum numerus seu trinitas, Judæos corrigit: fides unitatis numericæ in natura, & trinitatis in personis, Christianum facit. Credis unicum naturæ & hypostasi Deum, Judæus es. Credis plures Deos, Ethnicus es. Credis Deum singulariter unum in natura, & in hypostasis trinum, Christianus es, & sanus.

Obj. 8. Si tres sunt in Deo personæ, Pater, Filius & Spiritus sanctus, de Deo dici poterit, Est genitus, non est genitus; item, Est genitus, est ingenuus, Absurdum const. quoad utramque partem. Ergo, &c. *R. 1. neg. 1. partem seq.* Nam cum dicitur, Deus est genitus, Deus non est genitus, sensus est, Aliqua persona divina genita est, nulla persona divina genita est: unde cum dicitur, Deus genitus est, to Deus supponit pro persona Verbi, & propositio vera est, quia persona Verbi generatur: cum verò dicitur, Deus non est genitus, to Deus supponit pro omnibus personis, & propositio falsa est, quia de una ex personis, nempe de persona Verbum falsum est dicere, quod non generetur.

R. 2. conced. 2. partem seq. maj. & neg. in hoc esse aliquam absurditatem. Nam cum dicitur, Deus est genitus, Deus est ingenuus, sensus est, Aliqua persona genita est, Aliqua persona ingenua est. In prima propositione to Deus supponit pro una persona, nempe pro persona Verbi; in secunda verò pro alia persona, nempe pro persona Patris. Unde tam verè dicitur, Deus est genitus, Deus est ingenuus, quam verè dicitur v. g. Aliquis homo est albus, Aliquis homo non est albus.

Obj. 9. Si tres sunt in Deo personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, certè Pater genuit Filium. Atqui hoc dici non potest, Ergo, &c. *Neg. min. Prob.* Si pater genuit Filium, vel genuit jam existentem, vel genuit non existentem. Neutrum dici potest. Non primum: nam si jam existeret, cum illum genuit,

frustra illum genuit. Non etiam secundum: nam si genuit non existentem, aliquando filius non exiit, & ita filius non est æternus, nec proinde Deus est, sed creatura. Ergo, &c. *Resp. neg. seq. maj. & dico* Patrem ita genuisse Filium, ut nec genuerit jam existentem, nec genuerit non existentem. 1. Pater non genuit Filium jam existentem, quia Filius pro nullo instanti, sive reali, sive originis, prius exiit, quam gigneretur à Patre; Filius enim ab æterno habuit existentiam, quia Pater illum ab æterno genuit. Qui autem existit, quia gignitur, in nullo sensu prius existit, quam gignatur. 2. Pater non genuit Filium non existentem, quia in tota æternitate nullum instans reale potest assignari, in quo Pater non genuerit Filium, & ita in tota æternitate nullum instans reale assignari potest, in quo Filius non existerit. Pater itaque fuit ab æterno Pater. Ergo ab æterno genuit Filium. Ergo ab æterno Filius exiit, & quia Filius ab æterno exiit per generationem, ab æterno exiit posterius origine, quam gigneretur: unde neque jam existens, neque nondum existens aliquando genitus est. Quod enim semper habuit existentiam, quia semper illam accepit, neque aliquando non habuit, neque habuit unquam, prius quam acciperet.

Confirm. Quia 1. de illo, qui non existit, nisi quia gignitur, ineptè queritur, utrum prius existat, quam generetur. Atqui Filius non exiit, & existit, nisi quia genitus est, & gignitur. Ergo de illo ineptè queritur, utrum prius existerit, & existat, quam genitus est, & gignitur. 2. De illo qui semper existit, quia semper genitus est, ineptè queritur, utrum, antequam gigneretur, non existerit, Atqui Filius semper existit, quia semper genitus est. Ergo de illo ineptè queritur, utrum non existerit, antequam gigneretur. Pater igitur semper genuit Filium, semper existentem, quia semper illum genuit, Ex quo adhuc ad obj.

R. sic dist. maj. Si Pater genuit Filium in tempore, vel genuit jam existentem, vel genuit nondum existentem, C. seq. maj. Si Pater genuit Filium in æternitate, vel genuit, &c. N. seq. maj. Hujusmodi igitur disjunctio cadere potest in temporaneam generationem: de re enim, quæ in tempore gignitur, rectè dicitur: Vel jam existens, vel nondum existens gignitur. At nullatenus cadere potest in generationem æternam; de re enim, per generationem æternam existente, nugatorie dicitur: Vel jam existens, vel nondum existens genita est; nam si ab æterno genita est, ab æterno exiit, & si ab æterno exiit, quia ab æterno genita est, nunquam exiit, prius quam gigneretur.

Sic respondet ad propositam objectionem S. Gregorius Nazianzenus orat. 35. *Sed, inquit, argutari pergunt: Existentem, vel non existentem genuit Pater O fuites nugas. Hæc enim mihi, ac tibi conveniunt, qui partim eramus ut Levi ille in lumbis Abraha, partim procreati sumus: ac proinde partim ex entibus, partim ex non entibus sumus. At hæc generatio (Verbi) cum ipsa essentia concurrat, atque à principio exiit. Quid eo, quod à principio erat, antiquius esse potest; ut illic tempus collocemus, vel quo erat. Filius, vel quo non erat? utroque enim modo illud, à principio, dissolvetur, & evertetur... ego vero neutrum horum admitto; questionemque hanc tuam absurditatis multum, difficultatis nihil habere aio.*

Obj. 10. Si tres sunt in Deo personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, persona Patris v. g. vel est finita, vel infinita. Neutrum dici potest. Non primum: nam si finita est, non est Deus. Non secundum. *Neg. hanc partem. Prob.* Non continet omnes perfectiones aliarum personarum: non enim continet perfectiones relativas & proprias aliarum personarum, Ergo non est infinita.

R. n. ant. Itaque Pater continet proprietatem relativam Filii, quatenus producit illam immanenter. Item Pater & Filius continent proprietatem relativam Spiritus sancti, quatenus producant illam immanenter: sicut

sicut Pater continet essentiam Filii, quia essentia Filii est essentia Patris, & Pater & Filius continent essentiam Spiritus sancti, quia essentia Spiritus sancti est essentia Patris & Filii. Filius, totus quantus est, Patris est; & Spiritus sanctus, totus quantus est, Patris & Filii est, partim propter summam identitatem, partim propter perfectissimam immanentiam, vel si vis, propter summam in tribus identitatem essentiae, cui identificantur proprietates relativae Filii, & proprietates relativae Spiritus sancti. Pater tam intime, imò intimius possidet Verbum increatum, quam mens creata verbum creatum. Item Pater & Filius tam intime, imò intimius possident Spiritum sanctum, quam voluntas creata amorem creatum. Unde verbum creatum minus est aliquid suum mentis creatae, quam Verbum increatum Patris; & amor creatus minus est aliquid suum voluntatis creatae, quam Spiritus sanctus Patris, & ejus Verbi.

Vicissim Filius proprietatem relativam Patris, & Spiritus sanctus proprietates relativas Patris & Filii continet per immanentiam perfectissimam: quidquid enim immanet essentiae, immanet & supposito essentiae. Essentiae autem Filii immanet proprietates relativa Patris, & essentiae Spiritus sancti immanent proprietates relativae Patris & Filii; atque utraque hae immanentiae perfectissima est, quia est per summam identitatem cum essentia, quae tribus personis communis est. Unde quidquid est perfectionis sive absolutae sive relative in Patre, id totum intime possidet Filius, & ita totus Pater est intime aliquid suum Filii. Similiter quidquid est perfectionis sive absolutae sive relative in Patre & Filio, id totum intime possidet Spiritus sanctus, & ita totus Pater & totus Filius sunt intime aliquid suum Spiritus sancti.

Hinc proprietates relativa Patris Filium, & vicissim proprietates relativa Filii Patrem, similiter proprietates relativa Patris, idem dic de proprietate relativa Filii, Spiritum sanctum; & vicissim proprietates relativa Spiritus sancti Patrem, idem dic de Filio, perficit etiam formaliter, non quidem tanquam aliquid constituens, sed tanquam aliquid intime immanens per summam identitatem cum essentia, quae in tribus personis una est. Hinc Pater non aliquid est melius Filio, sicut nec vicissim. Similiter Pater & Filius etiam simul non sunt aliquid melius Spiritu sancto, sicut nec vicissim. Hinc denique qualibet persona divina summe & infinite perfecta est.

Obj. denique. Si tres sunt in Deo personae, quaternitas in Deo admittenda est. Absurdum conf. Ergo, &c. *Prob. seq. maj.* Nam Pater, Filius, Spiritus sanctus, & essentia divina non sunt nomina synonyma. Ergo, &c. *R. neg. seq. maj. Ad prob. R. neg. confeg.* Nam ad quaternitatem in Deo praeter distinctionem realem personarum inter se, requireretur realis distinctio essentiae divinae à personis. At essentia divina non distinguitur à personis, sed è contra Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt ipsa essentia divina cum relativis proprietatibus paternitatis, filiationis, & spirationis passivae, huic essentiae identificatis.

Dices. Erunt in Deo quatuor res, Pater, Filius, Spiritus sanctus, & essentia divina. Ergo in Deo erit quaternitas. *R. neg. ant.* Nam ex eo, quod in Deo sint tres personae, Pater, Filius, & Spiritus sanctus; cum sint tres personae in unitate essentiae, proprietatibus relativis, quibus personae constituuntur, identificatae; in Deo tantum sunt tres res relativae cum una re absoluta, quae est tres illae res relativae. Unde in Deo non reperitur quaternitas, sed trinitas, & unitas; trinitas scilicet personarum, & unitas essentiae, quae est tres personae. Tres igitur sunt personae divinae, & unus Deus, qui est tres personae. Deus igitur, non quaternarius, sed trinus & unus est.

Quod autem in Deo tres sint res relativae, probatur ex eo quod in Deo sunt tres proprietates relativae, realiter inter se distinctae, & constitutivae trium personarum relativarum, inter se realiter distinctarum, quae proinde non possunt non esse tres res relativae.

Simonet Theol. Tom. I.

Nihil, inquit S. Anselmus in lib. de incarn. Verb. c. 3. prohibet dicere Patrem & Filium esse duas res, si tamen intelligatur cujusmodi sunt res: non enim sic sunt Pater & Filius duae res, ut in his duabus rebus intelligatur eorum substantia, sed eorum relationes. Pater itaque, Filius, & Spiritus sanctus dici possunt, & sunt tres res, non quidem ratione substantiae seu essentiae suae, unde non sunt tres res absolutae, sed ratione proprietatum suarum relativarum, unde sunt tres res relativae; ita ut simul sint una res absoluta propter substantiae seu essentiae unitatem, ut definit Conc. Later. IV. c. 2. ubi dicitur: Una quaedam summa res est incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quae veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres simul personae, ac singulatim qualibet earumdem. Et ideo in Deo trinitas est solummodo, non quaternitas: quia qualibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina, quae sola est universorum principium, praeter quod aliud inveniri non potest.

In Deo igitur trinitas est, non quaternitas, quia res absoluta, quae est tres relativae, non potest facere numerum cum tribus illis rebus relativis: in omni enim numero unitas excludit unitatem, quacum numerum facit. Hinc v. gr. corpus, anima, & totum, quod resultat ex anima & corpore unitis, non faciunt tria, sed tantum duo & unum, quia totum, puta homo, ex anima & corpore unitis resultans, cum corpus & animam includat, nec facit, nec facere potest cum illis numerum. Unde in homine non est trinitas, sed dualitas cum unitate, dualitas quidem ratione corporis & animae, quae à corpore realiter distinguitur, unitas verò ratione totius, quod est utrumque, nempe corpus & anima.

ARTICULUS IX.

Utrum Montanus, & Montanista recte senserint de Trinitate.

Montanus natus in Phrygia, nuper ad fidem conversus, Antonino Pio imperante, dominandi cupiditate incensus, sese ut hominem prophetiae dono plenum venditare cepit, duasque mulierculas, Priscam seu Priscillam & Maximillam, socias sibi adjunxit, & eas secum, instigante demone, prophetare, vel potius furere docuit, & ut prophetissas haberi voluit. Novum hunc prophetam cum suis prophetissis frustra saepe admonitum, ut sileret, & insaniere desineret, extra Ecclesiam tandem eiecerunt Episcopi Catholici.

Montani discipuli, ex ejus nomine Montanistae, & ex loco, in quo nata est eorum haeresis, Phryges & Caraphryges dicti sunt. Montanum reverebantur eum Paracletum. Secundas nuptias damnabant ut fornicationes. Tres quadragesimas, ut ad salutem necessarias, statuebant esse observandas. Omnia ferè peccata remittendi potestatem Ecclesiae adimebant. In suis conventibus Episcopis tertium tantum locum concedebant. Mortuos baptizabant. In persecutionibus fugere, licitum nunquam esse asserbant. In duas postmodum scissi sunt partes, quarum una secundum Proclum, altera secundum Aëschinem dicta est. Cum Proclo illo seu Proculo, Romae, praesente Episcopo Zephyrino, disputationem habuit Gaius, vir eloquentissimus, ut refert Eusebius lib. 6. hist. c. 16.

RESPONSIO I.

Montanus non malè sensit de Trinitate.

Prob. 1. Argumento negativo. Nam contemporanei Authores, Claudius Apollinaris, Milciades, & Apollonius, qui contra Montanum, ejusque errores scripserunt, nihil ei circa mysterium SS. Trinitatis fidei Catholicae repugnans imputarunt, ut satis colligitur ex eorum fragmentis, quae refert Eusebius lib. 4. hist. c. 16. 17. & 18. Atqui si Montanus malè sensisset de primario fidei nostrae articulo, hoc non

L 4 tacuisset.

racuissent diligentissimi scriptores, qui multa alia multo minoris momenti in eum congeserunt, eique exprobrarunt. Ergo, &c.

Confirmari potest hoc argumentum ex facto Zephyrini Pontificis, qui à Montano deceptus, ad eam destinavit litteras pacis, quas tamen postea, à Praxeà Montani fraudes edoctus, revocavit. Montanus enim litteras illas non obtinuerat, nisi transmissa ad Pontificem professione fidei, in qua nisi de Trinitate sensisset catholicè, repulsam procul dubio à Zephyrino passus esset, ut patet ex eo, quod Praxeà paulò post contigit: cum enim pravam suam de Trinitate dogma evulgare cepit Romæ, statim ad palinodiam compulsus est à summo Pontifice. Vide Tertull. lib. contra Praxeam c. 1.

Adde quòd, ut refert Eusebius lib. 5. hist. cap. 3, Montanus initio à multis habitus est ut verus propheta, aliis tamen multis contradicentibus; unde de illo magna inter fideles exorta est dissensio, quare non statim ab Ecclesia eiectionis est. At profecto statim ab ea eiectionis fuisse, nec de falsitate prophetiarum ejus vel uno momento inter fideles dubitatum esset, si prophetando dogmatizasset contra sanctissimam Trinitatem. Ergo, &c.

Prob. 2. Ex Tertulliano, postquam medullitus factus est Montanista. Lib. de pudicitia c. 27. sic loquitur: *Ecclesia propriè & principaliter ipse est Spiritus, in quo est trinitas unius divinitatis, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Ecce Tertullianus, jam factus Montani discipulus, ejusque proficiens doctrinam, personarum divinarum trinitatem in unitate essentiae aperte agnoscit. Et lib. contra Praxeam c. 13. dicit: *Nos qui & tempora, & causas Scripturarum per Dei gratiam inspicimus, maxime Paracleti, non hominum discipuli, duos quidem definimus, Patrem & Filium, & jam tres cum Spiritu sancto, secundum rationem economie, quæ facit numerum: ne, ut vestra perversitas inferi, Pater ipse credatur natus & passus: quod non licet credi, quoniam non ita traditum est.* Duos tamen Deos, & duos dominos nunquam ex ore nostra proferimus, non quasi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus, & Deus unusquisque: sed quoniam... Ecce catholicam planè de Trinitate fidem profiteretur, eamque se à Paracletro, hoc est, Montano edoctum esse, gloriatur.

Huic Tertulliani testimonio, omni exceptione majori, addo testimonium Theodoret, qui lib. 3. hæret. fabul. cap. 2. de Montano & ejus hæresi loquens, sic ait: *Hic & matrimonium solvi constituit, & nova jejunia, præter Ecclesiæ consuetudinem, introduxit. Doctrinam verò de divina Trinitate non corrupit, & de mundi creatione eadem nobiscum docuit.*

Dices 1. Montanus Paracletum se nuncupavit. Ergo malè sensit de Trinitate. R. n. conf. Montanus enim Paracletum se nuncupavit, Paracleti nomine intelligendo, non Spiritum sanctum, sed hominem à Spiritu sancto specialissimè afflatum. Certè Montanus non alio sensu se dixit Paracletum, quam dictus est à puris Montanistis. Atqui puri Montanistæ Montanum nuncupando Paracletum, Paracleti nomine intellexerunt purum hominem, prophetiæ dono insignitum, & cui per afflatum specialissimè inhabitaret Spiritus sanctus, qui in Scripturis Paracletus nuncupatur. Uno verbo Montanum vocabant Paracletum, quia putabant Paracletum in Montano locutum, Paracletum in Montano per donorum plenitudinem inhabitasse.

Patet ex Tertulliano lib. de pudicitia c. 21. *Ipsum Paracletum, inquit, in Prophetis novis habeo dicentem: Potest Ecclesia donare delictum; sed non faciam, ne & alia delinquant.* Et lib. de jejuniis c. 12. *Quid ergo, inquit, cessatis Paracletum, quem in Montano negatis, in Apicio (celebris quondam helione) credere? c. 1. dixerat de Catholicis: Hi Paracletum controversam faciunt; propter hoc novæ prophetiæ recusantur: non quod alium Deum prædicent*

Montanus, Priscilla & Maximilla, nec quod Jesum Christum solvant, nec quod aliquam fidei aut spei regulam evertant; sed quod plane doceant sapius jejungere, quam nubere.

Minimè igitur puri Montanistæ crediderunt Montanum suum esse Spiritum sanctum, neque credidit ipse Montanus, qui nec alium Deum prædicavit, nec Jesum Christum solvit, nec aliquam fidei regulam evertit, si credimus Tertulliano, qui hoc de illo testatus non esset, si primo fidei nostræ articulo contradixisset. Montanistæ igitur saltem saniores, Montanum, ut superius dictum est, venerabantur ceu Paracletum, hoc est, ceu hominem à Paracletro Spiritu specialiter afflatum, & donis ejus præ aliis, qui eatenus fuerant, viris à Deo inspiratis, locupletatum. Quod confirmari potest ex Philastrio lib. de hæres. cap. 2. partis 2. de Montanistis dicente: *Addunt plenitudinem sancti Spiritus, non per Apostolos, Christo dante, fuisse concessam; sed per illos suos Pseudo-prophetas æstimant impartitam.* Et ex S. Augustino lib. de hæres. 26. quæ est de Cathaphrygibus, ubi sic ait: *Secundas nuptias pro fornicationibus habent, & ideo dicunt eas permisisse Apostolum Paulum, quia ex parte sciebat, & ex parte prophetabat: nondum enim venerat, quod perfectum est.* Hoc autem perfectum in Montanum & ejus prophetissas venisse delirant. Non est igitur audiendus S. Cyrillus Hierosol. cum ait in catech. 16. illuminat. Montanum se ipsum esse Spiritum sanctum aulum esse asserere.

Dices 2. Montanus se esse Patrem æternum mentitus est. Ergo, &c. *Prob. ant.* ex S. Epiphanio hæret. 48. ubi sic loquitur: *Sed hæc insuper Montanus adjicit: Ego sum Dominus Deus, qui in homine versor... Pergit Montanus, infelix homuncio: Non Angelus, inquit, non legatus aliquis: sed egomet Deus Pater accessi.* Et paucis interjectis: *Dominus noster Jesus Christus ita semetipsum declaravit, re vera ut germanum esse Parentis filium ostenderet.* Montanus contra vel Parentem se esse gloriatur. R. n. ant. Ad prob. R. Montanum sic loquendo, sese tantum ut eximium quendam vatem venditare, & ut prophetiæ suæ autoritatem conciliet, Patrem in se loquentem inducere, atque sumam agere sacrorum vatum, qui cum dicunt: *Dominus locutus est, os Domini locutum est, hæc dicit Dominus, audite verbum Domini, ego Dominus locutus sum;* non gloriatur se Patrem esse; sed Patre inspirante, loqui significant. Unde non apparet S. Epiphanium ex verbis Montani, illum Parentem se esse gloriari, colligere potuisse.

RESPONSIO II.

Inter Montanistas alii rectè, alii verò malè senserunt de Trinitate.

Prob. prima pars, 1. ex Tertulliano locis suprâ citatis. 2. Ex S. Epiphanio hæret. 48. ubi de Montanistis ait: *De Patre, & Filio, & Spiritu sancto eadem cum Ecclesia Catholica sentiunt.* 3. Ex Philastrio Brixienfi Episcopo lib. de hæres. c. 2. p. 2. *Cathaphryges, inquit, Prophetas & Legem accipiunt, Patrem, & Filium, & Spiritum consentient, carnis resurrectionem expectant, quæ & Catholica Ecclesia prædicat.* 4. Ex facto Dionysii Alexandrini, qui ratum habuit baptismum à Montanistis collatum, ut constat ex procemio Epistolæ Canonice 1. S. Basilii ad Amphiloichium Iconiensem Episcopum, ubi Montanistas nominat Pepuzianos, seu Pepuzenos, à viço quodam nomine Pepuza, in quo frequentes conventus agebant, & quem novam Hierusalem vocabant.

De eorum autem baptismo loquens, hæc habet: *Pepuzenorum autem baptismus nullam mihi habere rationem videtur, & miratus sum, quomodo hoc Dionysium, qui fuit canonicus, præterit... Pepuzeni sunt aperte hæretici: in sanctum enim Spiritum blasphemarunt, Montano & Priscille Paracleti appellationem nefariè & impudenter attribuentes.* Sive ergo ut

go ut qui homines in Deos referant, sunt condemnandi, sive ut qui Spiritum sanctum per concretionem cum hominibus, & commixtionem injuria afficiant, sic quoque sunt aeterna condemnationi obnoxii, quod non sit concedenda blasphemia in Spiritum sanctum. Quamnam ergo habet rationem verum eorum baptismi judicari, qui in Patrem, & Filium, & Montanum, Priscillamque baptizant? Non enim baptizati sunt, qui non in nobis tradita forma baptizati sunt. Quare etiam si hoc magnum Dionysium preterit, nobis tamen non est servanda erroris imitatio.

Baptismus igitur à Montanistis collatum recipiebatur Dionysius Alexandrinus, quem tamen cum esset vir canonicus, hoc est, regularum Ecclesiasticarum scientissimus, procul dubio rejecisset, si Montanistae non baptizassent in legitima forma, id est, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Non autem baptizassent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, si in sanctam Trinitatem Patrem, Filium, & Spiritum sanctum non credidissent.

Jam verò cum S. Basilus ait puros Montanistas, eos scilicet, quorum baptismum ratum habuerat Dionysius Alexandrinus, baptizasse in Patrem, Filium, & Montanum, Priscillamque, vel intellexit apud eos hanc fuisse baptismi formam, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Montani, Priscillaeque; vel quod baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quem putabant esse Montanum & Priscillam; vel denique quod saltem baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cujus nuncupationem, Paracleti scilicet, nefarie & impudenter attribuebant Montano & Priscillae.

Si primum, falsum esse convincitur, 1. ex facto Dionysii, sanctissimi, & regularum Ecclesiasticarum peritissimi Doctoris; qui baptismum in tali forma collatum nunquam approbasset. 2. Ex Tertulliano jam Montanista, in lib. contra Praxeam, ubi c. 26. ait Christum discipulis suis mandasse, ut tinguerent in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, non in unum; nam nec semel, sed ter, ad singula nomina, in personas singulas tingimur. Et c. 30. de eod. Christo haec scribit: Hic acceptum à Patre munus effudit, Spiritum sanctum, tertium nomen divinitatis, & tertium gradum majestatis, unius praedicationem monarchiae, sed & aeternae interpretatorem, si quis sermones novae prophetiae ejus admiserit, & deducitorem omnis veritatis, quae est in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, secundum christianum sacramentum.

Itaque, juxta Tertullianum Montanistam, forma baptismi, à Christo praescripta, haec est, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quae proinde utebantur Montani, & puri Montanistae: non enim Christum solvebant, ut testatur ipse Tertullianus, qui cum omnem novae prophetiae fidem haberet, non hanc formam à Christo dixisset institutam, si aliam apud suos usurpari vidisset. Item juxta Tertullianum, sacramentum regenerationis, quo sumus Christiani, continet professionem primariae veritatis Catholicae, nempe quod tres sint in Deo, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. At certe non continet, nisi quia confertur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Sic igitur baptismum conferebant puri Montanistae, teste Tertulliano, hic procul dubio loquente de ritu baptismi apud suos usitato.

Si secundum, convincitur etiam esse falsum ex superius dictis, & verbis Tertulliani proximè citatis, quibus praeter duas personas divinas, Patrem & Filium, tertiam etiam divinam, nempe Spiritum sanctum aperte confitetur, quam per novos prophetas, Montanum scilicet, Priscillam & Maximillam, locutam esse asserit, cum ait: Si quis sermones novae prophetiae ejus admiserit, proindeque cum illis non esse confundendam.

Si denique tertium, hoc non probat Montanistas male sensisse de Trinitate, ut per se clarum est; sicut nec probat illorum baptismum rejiciendum fuisse, tanquam invalidum. Unde hoc loco Dionysium Alexandrinum immerito reprehendit Basilus, qui hic hu-

manitus ipsemet lapsus est, cum ait baptismum à laicis collatum non valere, & baptismum apud haereticos susceptum, perinde ac si à laicis, qui Spiritum sanctum dare non possunt, collatum esset, iterandum esse in Ecclesia Catholica, nisi tamen à Patribus aliud per aeternam & dispensationem sit statutum.

Prob. secunda pars responsionis, nempe quod aliqui Montanistae de Trinitate male senserint. Prob. autem 1. ex S. Hieronymo in epist. 54. ad Marcel- lam, ubi Catholicis Montanistas opponens, ait: Primum in fidei regula discrepamus. Nos Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, in sua unumquemque persona ponimus, licet substantia copulemus: illi Sabellii dogma sectantes, Trinitatem in unius persone angustias cogunt. 2. Ex Theodoro lib. 3. haer. fab. c. 2. Quidam illorum (Montanistarum) tres divinitatis hypostases, sicut Sabellius, inficiati sunt, eundem esse dicentes & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, quemadmodum Noetus Asianus. 3. Ex lib. Tertulliani de praescript. c. 52. ubi dicitur: Accesserunt alii haeretici, qui dicuntur secundum Phrygas: sed horum non una est doctrina. Sunt enim qui contra Proclum dicuntur: sunt qui secundum Aeschinem pronuntiantur. Hi habent aliam communem blasphemiam, aliam blasphemiam non communem, sed peculiarem & suam: & communem quidem illam, qua in Apostolis quidem dicant Spiritum sanctum fuisse, Paracletum non fuisse: & qua dicant Paracletum plura in Montano dixisse, quam Christum in Evangelium protulisse; nec tantum plura, sed etiam meliora atque majora: privatam autem blasphemiam illi, qui sunt contra Aeschinem, hanc habent, qua adiciunt etiam hoc, ut dicant, Christum ipsum esse Filium & Patrem.

Porro de Montanistarum facie, quae ducem habuit Aeschinem, intelligendus est Concilii Laodicensi Canon 8. quo dicitur, eos qui ab eorum haeresi, qui Phryges dicuntur, convertuntur, sive sint in Clero, qui apud illos existimantur, sive maximi dicantur, eos cum omni studio catechizari, & baptizari ab Ecclesia Episcopis, & Presbyteris. Et Canon 7. Concilio Constant. I. attributus, ubi dicitur, Montanistas, qui hic dicuntur Phryges, & Sabellianos, qui eundem esse Patrem & Filium opinantur, utrumque simul confundentes... ut Gracos (hoc est, Ethnicos) admittimus... exorcizamus... catechizamus... &... baptizamus. Et illud D. Gregorii lib. 9. Reg. Epist. 61. quae est ad Quirinum, & ceteros Episcopos Hiberniae, ubi scribit Montanistas ad Ecclesiam venientes, baptizandos esse, quia apud suos baptizati non fuerunt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & nullum est baptisma, quod in nomine Trinitatis non est datum. Apud Montanistas baptisma non dari in nomine Trinitatis, probat ex eo, quod sanctum Spiritum perverso sensu, esse quendam pravam hominem, Montanum, credunt. Illi igitur Montanistae, de quibus loquitur S. Gregorius, & qui secundum Aeschinem nuncupabantur, credebant Christum esse Patrem & Filium, Montanum verò Spiritum sanctum. Alii verò puri Montanistae, qui secundum Proclum dicti sunt, cum Montano idem de Trinitate senserunt, quod Ecclesia Catholica.

ARTICULUS X.

Utrum Novatianus & Novatiani rectè senserint de Trinitate.

Novatum & Novatianum confuderunt Authores Graeci, Eusebius, Epiphanius, & Theodoretus: distinxerunt verò, quibus sanè credendum est, Latini, Cornelius scilicet Romanus Pontifex, Cyprianus, & Pacianus. Novatus igitur Presbyter fuit Carthaginensis Ecclesiae, homo scelestissimus, cujus scelera enumerat S. Cyprianus in epistola ad Cornelium 19. Ob illa propediem damnandus & excommunicandus ab Episcopis, clam discessit Carthaginem, & Romam venit, ubi contra Cornelium rebellandi auctor fuit Nova-

Novatiano. Hic in juventute aliquando à damone correptus, postea in lecto, urgente morbo, baptizatus, cum convalesceret, contra regulam Ecclesiasticam, qua prohibebatur, ne, qui propter instans mortis periculum in lecto baptizati fuerant, Cleri fierent, Presbyter ordinatus est, cum eo dispensante Episcopo, omnique Clero cum plurimis laicis ejus ordinationi non nisi ægerime consentiente. Vide Eusebium lib. 6. hist. c. 33.

Postquam autem, Cornelio Romanam sedem canonice adeptus, spe sua excidit Novatianus, dominandi cupidus, spreto juramento, quocum Episcopatum non concupiscere, regulamque Ecclesiasticam servare se velle affirmarat, ut raperet Pontificatum sibi à Deo minimè concessum, tres Episcopos ex vilissima Italia parte planè rudes ac simplices Romam fraudulenter accivit, temulentosque & crapula obrutos, illata vi, coegit ad imponendas sibi manus; atque ita repente tanquam ex machina quadam in medium projectus, Episcopus apparuit, vel potius Antiepisopus, & sic primus in Ecclesia Romana schisma fecit, Confessoribus aliquot cum multis fidelibus ad suas partes per fraudem pertractis, qui tamen brevi postea ad Cornelii obedientiam rediere, opera S. Cypriani, quem, sicut & Dionysium Alexandrinum, per litteras, & famulos contra Cornelium ejusque ordinationem libellos tentarat: ab utroque enim ut schismaticus & pseudo-episcopus rejectus est. Schismati autem addidit hæresim, negando primum, lapsos in persecutione, hoc est, sacrificatos & libellaticos absolvi posse ab Ecclesia, postmodum idem asserendo de his omnibus, qui grave aliquod crimen post baptismum admisissent. De quo fufius aliàs suo loco.

Schismatis ejus & doctrinæ sectatores ex ejus nomine Novatiani dicti, se ipsi *nabapsæ*, hoc est, Puros nominant arroganter. Eos, qui ad illorum partes deficiebant ab Ecclesia, rebaptizabant. Secundas nuptias damnabant, & bigamos à sua communione in perpetuum arcebant. Chrismatis unctionem in baptismo adhiberi solitam ab Ecclesia, pratermitterebant. Anno 391. in Angarensi Synodo statuerunt Pascha luna decima quarta, vel Dominica proximè sequente indifferenter celebrari posse. Sed de illis, sicut & de eorum magistro, quaritur, utrum malè fenserint de Trinitate.

RESPONSIO I.

Novatianus sensit de Trinitate idem, quod sentit Ecclesia Catholica.

Prob. Ex libro de Trinitate, qui post Tertulliani opera in Pameli editionibus extat, & quem non Tertulliani, aut B. Cypriani, sed Novatiani esse probat auctoritas S. Hieronymi, qui lib. 2. Apolog. contra Rufinum, de eo sic ait: *Transit ad inelyrum Martyrem Cyprianum, & dicit Tertulliani librum, cui titulus est, de Trinitate, sub nomine ejus Constantinopoli à Macedoniana partis hæreticis lectitari. In quo crimine mentitur duo. Nam nec Tertulliani liber est, nec Cypriani dicitur, sed Novatiani, cujus & inscribitur titulo: & auctoris eloquium styli proprietates demonstrat.*

Teste igitur Hieronymo, librum illum de Trinitate, nec Tertulliani, nec Cypriani esse, ostendit styli dissimilitudo, atque insuper præfert nomen Novatiani, cui proinde ut opus suum attribuendus est. Quod confirmatur ex eo quòd cap. 12. mentio fiat Sabellianæ hæresis, quæ multis post Tertulliani obitum annis, & eo ferè, quo Cyprianus Martyrium subiit, exorta est; unde contra illam scribere nec Tertullianus potuit, nec per tempus licuit Cypriano, cujus ad aures vix pervenire potuit erumpentis hujus hæresis rumor. Neque verò expositio Symboli, quæ inter Cypriani opera reperitur, in qua nominatur Sabellius, Cypriani est, sed Rufini, ut observat Bellarminus lib. de Script. Eccles. in S. Cypriano.

Eadem ratione ostenditur librum illum de Trinitate, quamvis præferat nomen Novatiani Romani Presbyteri, non fuisse scriptum à Novatiano, cum adhuc Presbyter esset, & nondum Sedem Romanam inva-

dere tentarat: hoc enim molitus est scelus, vivente Cornelio, cujus obitus aliquot annis antecessit initia Sabellianæ hæresis. Novatianus igitur jam à pluribus annis anti-papa & hæreticus, scripsit librum suum de Trinitate.

In hoc autem libro sic loquitur c. 1. de Patre: *Regula exigit veritatis, ut primò omnium credamus in Deum Patrem & Dominum omnipotentem, id est, verum omnium perfectissimum conditorem. Tum hoc eodem capite, & septem sequentibus luculenter perfectiones divinas exponit, laudesque prosequitur.*

2. Cap. 9. hæc habet de Filio: *Eadem regula veritatis docet nos, credere post Patrem etiam in Filium Dei Christum Jesum, Dominum Deum nostrum, sed Dei Filium, hujus Dei, qui & unus & solus est. Et cap. 11. probans illum esse verum Deum hominem, sic ait: Tam scriptura etiam Deum annunciat Christum, quam etiam hominem ipsum annunciat Deum: tam hominem descripsit Jesum Christum, quam etiam Deum quoque rescripsit Christum Dominum. Quoniam nec Dei tantum illum Filium esse proponit, sed & hominis: nec hominis tantum dicit, sed & Dei referre consuevit: ut dum ex utroque est, utrumque sit, ne si alterum tantum sit, alterum esse non possit. Ut enim præscripsit natura hominem credendum esse, qui ex homine sit, ita eadem natura præscribit & Deum credendum esse, qui ex Deo sit: ne si non & Deus fuerit, cum ex Deo sit, jam nec homo sit, licet ex homine fuerit, & in alterutro utrumque periclitetur, dum alterum altero fidem perdidisse convincitur. Qui legunt ergo hominis Filium hominem Christum Jesum, legant hunc eundem & Deum & Dei Filium nuncupatum. Nam quomodo est, quæ homo, ex Abraham, sic est etiam, quæ Deus, ante ipsum Abraham. Et quomodo, quæ homo, filius David, ita Dominus David, quæ Deus, nuncupatus est. Et quomodo, quæ homo, sub lege factus est, ita quæ Deus, Sabbathi Dominus expressus est...*

3. Cap. 29. de Spiritu sancto hæc scribit: *Sed enim ordo rationis, & fidei auctoritas, digestis vocibus & litteris Domini admanet nos post hæc credere etiam in Spiritum sanctum, olim Ecclesia repromissum, sed factis temporum opportunitatibus redditum. Deinde divinitatem ejus delineat his verbis: Hic est, qui ipsorum animos, mentesque firmavit, qui evangelica sacramenta distinguit, qui in ipsis inluminator rerum divinarum fuit, quo confirmati pro nomine Domini, nec carceres, nec vincula timuerunt, quin imò ipsas sæculi potestates, & tormenta calcaverunt. Armati jam scilicet per ipsum atque firmati, habentes in se dona, quæ hic idem Spiritus Ecclesia Christi sponsa quasi quædam ornamenta distribuit, & dirigit. Hic est enim, qui Prophetas in Ecclesia constituit, magistros erudit, linguas dirigit, virtutes & sanitates facit, opera mirabilia gerit, discretionibus spirituum porrigit, gubernationes contribuit, consilia suggerit, quæque alia sunt charismatum dona componit, & digerit, & ideo Ecclesiam Domini undique & in omnibus perfectam & consummatam facit.*

Et inferiùs: *De hoc Apostolus Paulus: Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus, & Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Hic est, qui operatur ex aquis secundam nativitatem, semen quoddam divini generis, & consecrator celestis nativitatis, pignus promissæ hereditatis, & quasi chyrographum quoddam æternæ salutis, qui nos Dei faciat templum, & nos ejus afficiat domum. Inhabitor corporibus nostris datus, & sanctitatis effector: qui id agens in nobis, ad æternitatem & ad resurrectionem immortalitatis corpora nostra producat, dum illa in se adjuvat cum celesti virtute misceri, & cum Spiritu sancti divina æternitate sociari. Erudiuntur enim in illo & per ipsum corpora nostra ad immortalitatem proficere, dum ad decreta ipsius discunt se moderanter temperare.*

Et adhuc inferiùs: *Hic in Apostolis Christo testimonium reddit, in Martyribus constantem fidem Religionis ostendit, in Virginitatibus admirabilem continentiam signatæ charitatis includit, in ceteris incorrupta & in-*

contaminata doctrina dominica iura custodit, hereticos destruit, per versos corrigit, infideles arguit, simulatores ostendit, improbos quoque corrigit, Ecclesiam incorruptam & inviolatam perpetue virginis & veritatis sanctitate custodit.

Vides Novatianum Spiritui sancto attribuentem ea, quæ soli Deo convenire possunt, & divinitatem ejus iisdem lineamentis describentem, quibus describit ipsa Scriptura sacra. Tres igitur in Deo personas confessus est Novatianus, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

Obj. 1. hæc Novatiani verba, c. 17. *Quamvis se ex Deo Patrem Deum esse meminisset, nunquam se Deo Patri aut comparavit, aut contulit, memor se esse ex suo Patre, & hoc ipsum quod est, habere se, quia Pater dedisset. Inde denique & ante carnis assumptionem, sed & post assumptionem corporis, post ipsam præterea resurrectionem omnem Patri in omnibus rebus obedientiam præstitit pariter ac præstat. Ex quo probatur nunquam arbitratum illum esse rapinam quandam divinitatem, ut aquaret se Patri Deo. Quinimò contra omni ipsius imperio & voluntati obediens, atque subiectus, ut formam servi susceperet, contentus fuit.* His verbis Novatianus clarè docet Patrem superiorem esse Filio, etiam quâ Deo, & Filium, etiam quâ Deum, esse obedientem & subiectum imperio & voluntati Patris.

R. 1. Novatianum non aliam Patri attribuere præminentiam, auctoritatem, superioritatem respectu Filii, quàm originis, in eo scilicet positam, quòd unus sit principium alterius, exclusâ omni omnino imperfectione, tam negativa, quàm positiva, etiam ex parte illius, qui habet principium. Cum hac autem superioritate manere potest, & manet perfectâ divinitatis æqualitas inter principium & principii terminum. Hujus rei adumbratitium exemplum habere possumus in humanis, si nimirum pater, & filius à patre in regni consortium assumptus, ambo iisdem corporis & animi dotibus præditi, cum eadem auctoritate præfint: tunc enim cum perfectâ inter utrumque æqualitate manet in uno præminetia & superioritas quædam, in eo præcisè posita, quòd sit is, à quo habet alter, quæcumque habet. Unus pater est, alter filius: unus dedit, alter accepit; cetera omnia paria sunt.

Nullam igitur Novatianus inæqualitatem statuit Patrem inter & Filium in divinitate. Juxta Novatianum, Pater verè Deus est, Deus super omnia, Deus & Dominus omnium, supremam habens potestatem in omnem creaturam. Pariter juxta eundem, Filius verè Deus est, super omnia Deus, omnium Deus & Dominus, in omnem creaturam potestatem habens supremam, quia in forma Dei est, & non tantum in imagine, hoc est, quia ipsam habet divinitatem, quamvis acceptam, & non tantum aliquam ejus participationem. Unde sicut Pater, quia verè Deus est, ens supremum est, & in omni genere perfectionis illimitatum; ita quoque Filius, quia verè Deus est, supremum ens est, & illimitatum in omni genere perfectionis: cum hoc tamen discrimine, quòd Pater, quidquid est, est absque principio, quia ingenuus est; Filius verò, quia genitus est, habet à principio, nempe à Patre, quidquid habet.

Sed audiamus Novatianum cap. citato de Filio loquentem: *Accepit nomen, quod est super omne nomen, quod utique non aliud intelligimus esse, quàm nomen Dei. Nam cum Dei sit solius esse super omnia, consequens est, ut nomen illud sit super omnia, quod est ejus, qui super omnia est Dei. Est ergo nomen illud, quod super omne nomen est: quod nomen est ejus utique consequenter, qui cum in forma Dei fuisset, non rapinam arbitratum est æqualem se Deo esse. Et superius: Si homo tantummodo Christus in imagine Dei, non in forma Dei relatus fuisset, hominem scimus ad imaginem, non ad formam Dei factum... merito in forma pronuntiatus Dei, dum & ipse super omnia, & omnis creature divinam obtinens potestatem, & Deus est exemplo Patris: hoc ipsum tamen à Patre proprio con-*

secutus, ut omnium & Deus esset, & Dominus esset & Deus ad formam Dei Patris, ex ipso genitus atque prolatus. Ex his autem sic concludit: *Hic ergo quamvis esset in forma Dei, non est rapinam arbitratum æqualem se Deo esse, hoc est, quamvis substantiam divinam non habuerit à se, sed eam acceperit à Patre, à quo genitus est, nihilominus Patri æqualis est; quia ab eo per generationem substantiam divinam accipiendo, accepit ut esset verè Deus, Deus super omnia, omnium Deus & Dominus. Nullam igitur Patri erga Filium eminentiam attribuit Novatianus, quæ perfectam inter utrumque divinitatis æqualitatem excludat. Et cum dicit: *Quamvis se ex Deo Patre Deum esse meminisset, nunquam se Deo Patri aut comparavit, aut contulit, memor se esse ex suo Patre, &c.* idem est, ac si diceret: *Quamvis probè sciret, se à Deo Patre eandem, quam habet Pater, divinitatem accepisse, & ita perinde se, ac Pater est, verè Deum, Deum super omnia, omnium Deum ac Dominum esse; nunquam tamen erga Patrem perinde se gessit, ac si ipse quoque ingenuus esset, & absque principio, sed semper agnovit Patrem ut principium emanationum divinarum, à quo ipse, quidquid est, accepisset. Ex his**

R. 2. Cum Novatianus ait, *Filium omnem Patri in omnibus rebus obedientiam præstitisse pariter, ac præstare, & omni ipsius imperio & voluntati obedientem atque subiectum, etiam ut formam servi susceperet, contentum fuisse; imperii nomen largè sumere pro voluntate communi duobus perfectè æqualibus, quorum tamen unus accipit esse ab altero: unde fit, ut hæc voluntas, quatenus est illius, qui dat esse alteri, imperium nominetur, ad significandam principii prærogativam, quam habet. Unde intelligitur, quo sensu Novatianus dicat Filium Patri obedientiam in omnibus præstare, & suscipiendo servi formam, Patri sese subiecisse, & obedivisse. Juxta Novatianum, Filius in omnibus obedientiam præstat Patri, quia eantem, & ea omnia exequitur ad extra, quæ ab æterno communiter decrevit cum Patre, qui respectu illius prærogativam habet principii. Item formam servi suscipiendo, subiecit se & obedivit Patri, quia decretum illud, quo ab æterno voluit incarnari in tempore, fuit etiam decretum Patris, ac proinde illius, à quo processit, & quem ut principium suum agnoscit.*

Porro diffidendum non est, Novatianum durius esse locutum. Quod illi commune est cum insignibus Ecclesiæ Doctoribus, quos tamen benignè interpretamur, neque eos, quasi de Trinitate, & Verbi divinitate malè senserint, insinulamus. Quòd si locutiones aliquas non satis accuratas, imò & duriores illis condonamus, quidni & Novatiano condonabimus, præsertim cum aperiùs fortassis & differtius, quàm illi, Verbi divinitatem defenderit, nec quidquam contra Trinitatis dogma molitus esse, apud veteres legatur, sed è contra ex veterum monumentis satis apertè colligi possit, eandem Trinitatis fidem habuisse, quam habebant Catholici, ut infra videbitur.

Denique si Novatianus re ipsa sensit, prærogativam principi in Patre sufficere ad hoc, ut possit propriè imperare Filio; & Filium, quamvis verè Deum, Deum super omnia, omnium Deum ac Dominum, proindeque Patri ex omni parte æqualem, ex eo tamen præcisè, quòd, quidquid est, acceperit à Patre, posse Patri sese voluntariè submittere, eique propriè obedire: sicut si dicatur in exemplo superius ex humanis allato, quòd pater, præcisè quia filium in consortium regni cum æquali auctoritate administrandi assumendo, non desit pater ejus esse, possit adhuc propriè imperare filio, & filius retinendo totam auctoritatem suam, possit sese voluntariè subicere patri, eique propriè obedire: si ita, inquam, re ipsa sensit Novatianus, inconsequenter sensit, & locutus est, nec accuratè satis, satique dignè versatus est in iis, quæ ad Trinitatis mysterium attinent, explicandis. Quod ipsi, & fortasse pluribus aliis, quos Ecclesia ut Doctores suos semper reverita est, in materia astruissima contigisse, mirum videri minimè debet. Nobis omnino sufficit, quòd & trinitatem personarum divinarum

narum confessus fuerit, & quod huic trinitati creatum nihil admiscuerit, sed unam & eandem divinitatem tribus personis communem esse crediderit.

Obj. 2. Hæc Christi verba Joan. c. 10. *Ego & Pater unum sumus*. Sic interpretatur Novatianus c. 22. *Unum autem, quod ait, ad concordiam, & eandem sententiam, & ad ipsam charitatis societatem pertinet, ut merito unum sit Pater & Filius per concordiam, & per amorem, & per dilectionem.* Qui autem dicit Patrem & Filium non esse unum, nisi concordia, sententia, charitatis societate, malè sentit de Trinitate: asserit enim non solum hypostasem, sed etiam naturarum distinctionem. Ergo de Trinitate malè sentit Novatianus.

R. Falsum esse, quod Novatianus dicat hoc loco Patrem & Filium non esse unum, nisi concordia, sententia, & charitate. Hæc enim Christi verba, *Ego & Pater unum sumus*, quæ non solum de unitate naturæ, sed etiam de unitate concordia explicari possunt, interpretatur de unitate concordia, tacita unitate naturæ, non ut naturarum distinctionem inducat, sed ut removeat unitatem substantiæ & personæ: nam hic disputat contra Sabellianos, verbis Christi laudatis abutentes, ad probandam in Patre & Filio unitatem hypostasim.

Novatianum audiamus. *Frequenter intendunt illum nobis locum, quo dictum sit, Ego & Pater unum sumus: & in hoc illos æquè facile vincemus. Si enim erat, ut heretici putant, Pater Christus, oportuit dicere, Ego & Pater unus sum. At cum, Ego, dicit, deinde Patrem infert dicendo, Ego & Pater, proprietatem personæ suæ, id est, Filii, à paterna auctoritate discernit, atque distinguit, non tantummodo de sono nominis, sed etiam de ordine dispositæ potestatis. Qui potuisset dicere, Ego Pater, si Patrem se esse meminisset. Et quia dixit, Unum, intelligant heretici, quia non dixit, Unus. Unum enim naturaliter positum, societatis concordiam, non unitatem personæ sonat. Denique adjicit dicent, Sumus, non, Sum, ut ostenderet per hoc, quod dixit, Sumus, & Pater, duas esse personas.*

Ostendit igitur Novatianus ex Verbis Christi, *Ego & Pater unum sumus*, à Sabellianis malè inferri unitatem personæ Patris & Filii: tum quia Christus dicit, *Ego & Pater*, non, *Ego Pater*; tum quia dicit, *Unum*, non, *Unus*; tum quia dicit, *Sumus*, non *Sum*; uno verbo, quia dicit, *Ego & Pater unum sumus*, non, *Ego Pater unus sum*. Addit denique Novatianus *Unum*, secundum naturalem significationem, non unitatem substantiæ, sed societatis concordiam, seu unitatem concordia sonare; potuit pariter, imò & melius dicere unitatem essentia; maluit tamen dicere unitatem concordia, quia de unitate essentia Patrem inter & Filium dubitavit, sed quia concordia unitatem ad statuendam personarum distinctionem aptiorem esse judicavit.

Quod autem unam & eandem esse substantiam divinam Patris & Filii, crediderit Novatianus, patet ex eo, quod dicat Filium esse Deum super omnia de Deo Patre. Non potest autem Filius esse Deus super omnia de Deo Patre, nisi per communionem unius & ejusdem substantia; divinæ, sive nisi quia à Patre per generationem accepit unam illam substantiam divinam, qua Pater ipse super omnia Deus est.

Dices. Novatianus c. 22. expressè asserit Filium esse minorem Patre. R. dist. Asserit Filium esse Patre minorem ratione essentia; N. Ratione originis, C. Itaque asserit Filium esse minorem Patre, non quia aliam & inferiorem naturam habet, sed quia unam & eandem illam naturam divinam, quæ illi cum Patre communis est, accepit à Patre per generationem: cum è contra Pater illam habeat à se, quia ingenuus est, nec habet principium sui.

Dices. Novatianus c. ult. docet Filium esse subiectum Patri, & paternæ voluntatis ministrum. R. ad 1. Docet Filium esse Patri subiectum, tanquam superiori, secundum essentiam & divinitatem, N. Tanquam superiori, secundum originem, quatenus est Filii principium sine principio, C. R. ad 2. juxta No-

vatianum, filium paternæ voluntatis ministrum esse eodem sensu, quo Patri subiectus est, seu quo Patrem habet superiorem. Unde cum juxta Novatianum Pater Filio superior non sit, nisi secundum originem, juxta Novatianum, Filius non est voluntatis paternæ minister, nisi quia gignitur à Patre, à quo proinde per generationem accipit substantiam divinam, & cum substantia divina non solum vim volendi, sed etiam virtutem exequendi id omne, quod cum Patre vult communiter.

Dices. Eodem illo c. ult. Novatianus negat Filium habere invisibilitatem, incomprehensibilitatem, aliaque divinitatis attributa, quæ habet Pater. R. hoc esse falsum: solum enim negat Filium ista omnia habere à se, sicuti habet Pater, qui ingenuus est. Itaque juxta Novatianum, Filius habet quidem omnia divinitatis attributa, quæ Pater habet: sed cum hoc discrimine, quod Pater illa habeat à se, quia procedit à nemine, Filius verò à Patre, quo procedit. Unde juxta Novatianum, Pater & Filius habent unam & eandem divinitatem, unam & eandem substantiam divinam, cum hoc discrimine, quod Pater habeat illam à se, Filius verò à Patre.

Dices. Novatianus eodem illo ult. cap. ubi probat unum esse Deum, non duos, quamvis Filius sit Deus, hoc ostendit non ex unitate naturæ & divinitatis in Patre & Filio, sed ex eo, quod unus tantum ex duobus ingenuus est, nempe Pater. Si (Filius) natus non fuisset, innatus comparatus cum eo, qui esset innatus, aequatione in utroque offensa, duos faceret innatos, & ideo duos faceret Deos: si genitus non esset, collatus cum eo, qui genitus non esset, & aequales inventi, duos Deos merito reddidissent non geniti. Atque ideo duos Christus reddidisset Deos, si sine origine esset, ut Pater inventus, & ipse principium omnium ut Pater, duo faciens principia, duos ostendisset nobis consequenter & Deos... Nunc autem quidquid est, non ex se est, quia nec innatus est, sed ex Patre est, quia genitus est, sive dum verbum est, sive dum virtus est, sive dum sapientia est, sive dum lux est, sive dum Filius est, & quidquid horum est, dum non aliunde est, quam sicut diximus jam superius, ex Patre, Patri suo originem suam debens, discordiam divinitatis de numero duorum Deorum facere non potuit, qui ex illo, qui unus est Deus, originem nascendo contraxit.

R. Novatianum hic non minus solidè, quam subtiliter argumentari, & re ipsa ostendere unum esse Deum ex unitate substantia; divinæ. Itaque juxta Novatianum, quamvis Filius æquè ac Pater sit Deus super omnia, omnium Deus & Dominus, unus tamen Deus est Pater, quia Filius non est alius Deus à Patre. Filius non est alius Deus à Patre, quia genitus est, ut esset Deus, quia Deus est de Deo Patre, proindeque Deus est per substantiam divinam acceptam à Patre, & ita Deus est per substantiam divinam, qua ipse Pater Deus est. Una igitur est & eadem substantia Patris & Filii, una divinitas. Filius igitur, additur Patri, nec facit, nec facere potest duo rerum principia, duos Deos.

E contra verò si Filius esset quoque ingenuus, tunc Pater & Filius essent duo ingenui, & ita Filius non esset Deus per eandem substantiam divinam, qua Pater Deus est, sed alia esset substantia Patris, alia Filii, alia divinitas Patris, alia Filii; proindeque si Pater & Filius essent duo ingenui, essent quoque Dii duo propter distinctas substantias & divinitates. Hæc utcumque illustrari possunt exemplo, à rebus creatis petito. Sic v. g. duorum fontium duplex est substantia, quia neuter est origo alterius. At fontis & fluvii substantia una est, quia fluvius derivatur à fonte, & sic substantia fluvii nec est, nec potest esse alia à substantia fontis. Unde fons & fluvius sunt una res, unum continuum; cum è contra duo fontes sint res duæ, continua duo. Similiter quia, seclusis imperfectionibus, Filius in divinis se habet ad modum rivi emanantis ex Patre tanquam ex fonte, una & eadem est substantia utriusque. Item quia, omni imperfectione seclusa, Spiritus sanctus se habet ad modum rivi

rivi profluentis ex Patre & Filio, tanquam ex uno fonte, triū unam & eandem esse substantiam necesse est. Unde unus Deus est Pater cum Filio & Spiritu sancto: cū una & eadem substantia divina in pluribus suppositis non nisi unum Deum facere possit.

Hanc esse Novariani mentem patet ex his ejus verbis eod. illo cap. ult. *Est ergo Deus (Filius) sed in hoc ipsum genitus, ut esset Deus ... cuius sic divinitas traditur, ut non aut dissonantia, aut inaequalitate divinitatis duos deos reddidisse videatur.* Subiectis enim ei quasi Filio omnibus rebus à Patre per generationem, dum ipse cum his, quae illi subiecta sunt, Patri suo subicitur quantum ad originem, Patris quidem sui Filius probatur, ceterorum autem & Dominus & Deus esse reperitur. Ex quo dum huic, qui est Deus, omnia per divinam generationem subtrahuntur traduntur, & cuncta sibi subiecta Filius accepta refert Patri, tanquam foati ex quo profluit, totam divinitatis auctoritatem rursus Patri remittit, unus Deus ostenditur verus & aeternus Pater, à quo solo haec vis divinitatis ut emissæ, etiam in Filium tradita & directæ, rursus per substantia communionem ad Patrem revolvitur. Deus quidem ostenditur Filius, cui divinitas tradita & porrecta conspicitur, & tamen nihilominus unus Deus Pater probatur, dum gradatim reciprocoque meatu illa maiestas atque divinitas ad Patrem, qui dederat eam, rursus ab illo ipso Filio missa revertitur & retorquetur.

Obj. 3. Saltem Novatianus malè sensit de divinitate Spiritus sancti. Nam 1. dicit c. 7. quod omnis spiritus creatura est. 2. c. 24. sic loquitur: *Nec Paracletus à Christo acciperet, nisi minor Christo esset.* Minor autem Christo Paracletus, Christum etiam Deum esse hoc ipso probat, à quo accepit, quæ nunciat, ut testimonium Christi divinitatis grande sit, dum minor Christo Paracletus reperitur, ab illo sumit quæ ceteris tradit. 3. Nusquam Spiritum sanctum dicit esse Deum, 4. Denique c. ult. in hoc tantum incumbit, ut ostendat Patrem & Filium non esse duos Deos, sed Patrem cum Filio unum esse Deum.

R. n. obj. Ad 1. prob. R. Novatianum hoc loco non aliud velle, quam vocabulum Spiritus, sicut & ista, lux & charitas, ex primæ suæ institutione, & ita propriè & naturaliter non significare, nisi substantiam aliquam creatam, proindeque eum creaturam facturum esse Deum, qui substantiam Dei diceret esse Spiritum in sensu proprio & naturali. Si acceperis, inquit, Spiritum substantiam Dei, creaturam feceris Deum: omnis enim spiritus creatura est. Quare sicut non nisi figurativè de Deo dicitur, quod sit charitas, lux, ignis, &c. ita nec nisi figurativè de eo dicitur, quod sit spiritus. Et verò sicut in veteri testamento ideo Deus ignis dicitur, ut peccatori populo metus incutatur, dum iudex ostenditur; ita & in novo testamento Spiritus esse profertur, ut rector & creator in delictis suis mortuorum per hanc bonitatem collata credentibus indulgentiæ comprobetur. Hinc tertiæ personæ in divinis nomen Spiritus attribuitur figuratè, quia procedit à Patre & Filio per viam amoris, eique propterea specialiter attribuitur animarum sanctificatio, quæ perficitur per charitatem, quæ diffunditur in cordibus. Neque alio sensu tertiam personam dixisse Spiritum Novatianus crederetur, nisi immeritò: quantumvis enim asserat omnem spiritum esse creaturam, agnoscit tamen Deum in bono aliquo sensu dici posse, & re ipsa in novo testamento dici Spiritum.

Ad 2. prob. R. Novatianum verbis citatis non magis divinitati Spiritus sancti contradicere velle, quam contradicere velit divinitati Filii, cum de eo loquens c. 22. ait: *Dum accipit sanctificationem à Patre, minor Pater est: minor autem Patre consequenter est; sed Filius ... profutendo se accepisse sanctificationem à Patre, hoc ipso, quo se Patre minore, accipiendo ab ipso sanctificationem, probat, Filium se esse, non Patrem, monstravit.* Sicut ergo Novatianus credens Filium esse verè Deum, Deum super omnia, omnium Deum & Dominum, adhuc dicere potuit, & dixit illum esse Patre minorem, quia à Patre accipit; certè idem pla-

nè de Spiritu sancto sentiens, potuit dicere, illum esse Filio minorem, quia accipit à Filio.

Imò Novarianus hoc loco, qui nobis objicitur, manifestè supponit Spiritum sanctum non esse creaturam. Nam Christum probat esse Deum, quia Spiritus sanctus ab illo accipit, & dicit grande divinitatis Christi testimonium esse, quod Spiritus sanctus illo minor repertus, ab illo sumat quæ ceteris tradit. Quod jejenum & frigidum esset, si Spiritus sanctus esset creatura.

Præterea, sic discurret eodem illo loco: *Si homo tantummodo Christus; quomodo Paracletum dicit, de suo esse sumpturum quæ nuntiaturus sit? Neque enim Paracletus ab homine quicquam accipit, sed homini scientiam Paracletus porrigit; nec futura ab homine Paracletus discit, sed de futuris hominem Paracletus instruit.* Quare autem? nisi quia Spiritus sanctus creatura non est, nec homo est, nec Angelus: testatur enim Apostolus, Angelos circa Verbi incarnati mysterium multa didicisse per evangelicam prædicationem, quæ ignorabant antea. Quia Spiritus sanctus non est creatura, nec accipit, nec accipere potest ab homine, nec discit, nec discere potest ab homine, non instruitur ab homine, sed hominem instruit de futuris, quæ certò prænoscere, prærogativa Dei est.

Ad 3. prob. R. Novatianum nusquam quidem Spiritum sanctum appellare Deum, at, quod nobis sufficit, illi attribui ea, quæ divinitatis propria sunt, & quæ creaturæ competere nullatenus possunt. Neque mirum videri debet, quod Dei nomen non expressè tribuat Spiritui sancto, quia prioribus illis Ecclesiæ temporibus non adedè explicita fuit fides de divinitate Spiritus sancti: neque idcirco ejus circa SS. Trinitatem orthodoxia in controversiam revocari debet. Certè S. Basilius, cum de Spiritu sancto ageret, per prudentem quandam œconomiam à tribuenda illi appellatione Dei aliquando abstinuit; verbis æquivalentibus divinitatem illius exprimere contentus, quam Basilii œconomiam in ejus elogio funebri laudat S. Gregorius Nazianzenus non multum procul à fine. Item Patres Nicæni in Symbolo Patri & Filio nomen Dei tribuunt, non Spiritui sancto. *Credimus, inquit, in unum Deum Patrem omnipotentem ... & in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei ... Deum ex Deo ... & in Spiritum sanctum.* Imò Patres Constantinopolitani, quamvis ageretur de Spiritu sancti divinitate contra Macedonianos defendenda, in Symbolo suo Spiritum sanctum Deum non appellant; sed solum attribuunt ei aliquid, quod ei convenire non posset, si non esset Deus. *Credimus, inquit, in unum Deum Patrem omnipotentem ... & in unum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei unigenitum ... Deum de Deo ... credimus in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum & glorificandum.*

Ad 4. prob. R. Novatianum, cum in præcedentibus capitulis expressè probavit Christum non solum esse personam distinctam à persona Patris, sed etiam esse Deum super omnia, & omnium Deum ac Dominum, de hoc tantum sollicitum esse potuisse cap. ult. ut ostenderet Patrem, & Christum Filium ejus unigenitum, non duos esse deos, sed unum tantum. Ratio autem qua id præstitit, valet omnino ad probandum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, quamvis sint tres personæ divinæ, inter se distinctæ, unum tamen esse Deum, non tres, ut potè unam & eandem divinitatem habentes.

ARTICULUS XI.

Utrum Marcellus Ancyranus aliud de Trinitatis mysterio senserit, quam Catholica Ecclesia.

Marcellus Ancyre Episcopus, & Primas Galatiæ, unus fuit ex trecentis octodecim Patribus, qui pro vindicanda contra Arium Verbi divinitate, Nicæam convenerunt. Hic pro orthodoxa fide contra Arianos in Nicæna Synodo decertavit acerrimè, quam-

obrea

Sozom. l. 2.
M. A. c. 33.

obrem gravissimam Eusebianorum incurrit offensio-
nem, quam non mediocriter auxit improbando ea,
quæ in Synodo Tyri decreverant contra B. Athana-
sium, non acquiescendo iis, quæ Hierosolymis sta-
tuerant de Ario communioni Ecclesiastica restituen-
do, Templi denique Hierosolymitani, à Constantino
ædificati, dedicationi cum illis interesse recusando,
eorumque communionem devitando; qua de re da-
tis ad Imperatorem litteris, graviter contra illum con-
questi sunt, quasi contumelia affectisset Imperatorem,
Basilicæ Hierosolymis constructæ dedicationem detre-
ctando præsentia sua cohonestare.

Peracta dedicatione, Eusebiani Constantinopolim
ab Imperatore acciti, Marcellum apud illum accusa-
runt ut hominem hæreticum; & conventu habito
exaudiverunt, eique suffecerunt Basilium quendam,
virum facundia & eruditione celebrem, qui idcirco
Ancyranus cognominatus est. Novitatis autem cri-
men imponendi Marcello occasionem sumpserunt Eu-
sebiani ex libro, quem scripserat contra Asterium So-
phisam, Arianis partibus addictum, & in quo con-
tendebant cum Sabellii & Pauli Samosatani errores
instaurasse. Hunc Marcelli librum refutat Eusebius
Cæsariensis quinque libris, quorum tres inscribuntur
de Ecclesiastica Theologia.

Epiph. hæc.
72.

Contra exaudiverunt à se Marcellum, ad Julium
Pontificem Maximum scripserunt Eusebiani, eumque
Sabellianismi accusarunt, hanc proculdubio late ad-
versus eum dispositionis sententiæ causam prætexen-
tes. Quapropter Marcellus Romam profectus, co-
ram Julio stetit, innocentiam suam purgaturus, po-
stulans ut accusatores suos accerferet, & spondens se
illorum calumnias confutaturum, ostensurumque eos
etiamnum impium Arian dogma à Nicæna Synodo pro-
scriptum, sequi. Justis ejus precibus annuens Julius,
missis Presbyteris, jubet Eusebianos in urbem veni-
re, quæ Marcello objiciebant, crimina probaturos.
His frustra per annum integrum & menses aliquot Ro-
mæ expectatis, Marcellus à Julio innocens pronun-
ciatus, & in Sedem suam restitutus est.

Jul. Epist.
ad Orient.

Postea verò Eusebianorum de lata à Julio pro Mar-
cello & Athanasio sententia expostulantium querimo-
niis victi Constans & Constantinus, annuente Julio,
Sardicam Illyriæ urbem convocarunt generalem Sy-
nodum, in qua à trecentis Episcopis cum Athanasio,
& Aselepa Gazæ Episcopo, Marcellus iterum inno-
cens declaratus est, & Julii judicium confirmatum.
His non obstantibus, quaritur adhuc utrū Marcellus
fuerit hæreticus, an non; utrū Julius & Sardicen-
sis Synodus circa illum errarint errore facti, an non.

Contra Marcelli orthodoxiam pugnat autoritas S.
Basilii, qui epist. 52. ad Athanasium hæc scribit:
*Marcellum, qui ex diametro respondentem Ario impie-
tatem avulsi, atque contra eandem unigeniti divinita-
tisque essentiam in pie egit, Verbiq; appellationem male
usurpavit, ne semel quidem accusare videntur, qui
Verbum quidem unigenitum vocari tradit ratione mini-
sterii ac dispensationis, & quatenus in tempore natus
prodiit: ceterum ad eum unde egressus erat, reversum,
nec ante egressum fuisse, nec post regressum subsistere.
Et hujus experimentum ac demonstrationem recandi
apud me inique illius syngraphæ libri continent. Attamen
istum nequaquam reprobare visi sunt, & per hæc
culpandi veniunt, ut qui ab initio illum per ignorantiam
veritatis in Ecclesiasticam etiam communionem rece-
perint. Et epist. 74. ad Occidentales: Nos sanè con-
tristat, quod Marcelli dogmatibus fidem habet (Pauli-
nus, & sectatores illius sine discrimine ad commu-
nionem admittit. Scitis, colendissimi Fratres, quam
omnem spem nostram irritam faciat dogma Marcelli,
quod neque Filium propria ac discreta hypostasi prædi-
tum confiteatur, sed productum, & in eum ipsum iterum
conversum, ex quo venerat, tradit: neque Paracle-
tum propria habere hypostasim concedit: ita ut non
aberraret, si quisquam hanc hæresim prorsus alienam esse
à Christianismo determines, ac corruptum quendam
Judæismum appelleret. Ecce Basilii Marcellum aperte
attribuit impium Sabellii dogma, atque discipulos ejus*

impium hujus dogmatis sectatores: imò tacite videtur
suggillare Julium & Patres Sardicenses, quod sibi à
Marcello imponi passi sint, eumque, rebus non satis
diligenter perpenfis, in communionem Ecclesiasti-
cam receperint.

Contra Marcelli orthodoxiam proferuntur etiam
aliorum plurium testimonia; nempe Athanasii in ora-
tione, quæ inscribitur, *Quod unus sit Christus*, & in
qua Marcellus Paulo Samosateno accensetur. Hiero-
nymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis c. 97. ubi
refert Hilarium in septimo adversus Arianos libro,
Marcelli nominis, quasi hæretici, meminisse, Hila-
rii in fragmento. 2. Ubi ait Athanasium à commu-
nionem suā separasse Marcellum, ubi quædam eum alia
nova miscere sensit, & ambiguis predicationibus ejus
in quam Photinus erupit, doctrinam viam querere. Sul-
picii Severi, qui lib. 2. hist. sacræ idem factum testa-
tur: *Athanasius, inquit, cum Marcellum parum sa-
næ fidei esse penitus comperisset, à communionem suspen-
dit. Theodoretus lib. 2. hæret. fabularum, ubi Sabel-
lio Marcellum subjungit, & ait: Marcellus Galata,
similiter ut ille, negavit hypostasim trinitatem, ...
Socratis lib. 1. hist. Eccl. c. 36. ubi hæc habet: Mar-
cellus cum adversus eum (Asterium) vellet scribere,
nimia contradicendi cupiditate in contrarium errorem
delapsus est. Sozomeni lib. 2. hist. Eccl. dicentis c. 33.
Dum ei (Asterio) contradicere vult Marcellus, sive
sua sponte, sive imprudens, neque ita sentiens, in opi-
nionem Pauli Samosatensis prolapsus est. Marii Mer-
catoris 12. anathemat. Nestorii n. 15. ubi dicit Mar-
cellum Galatam secutum esse Ebionem. Et Joannis
Chrysostomi, qui in hom. 2. in epist. ad Hebr. non
semel Marcellum conjungit cum Plotino.*

Inter orthodoxiam & heterodoxiam Marcelli flu-
ctuat S. Epiphanius hæc. 72. quæ est Marcellianorum;
ita ut tamen in hanc partem propendeat magis, quam
illam: sic enim de Marcello loquitur: *Fecit autem &
ipse quandam divisionem in Ecclesia, ... à quibusdam
incepsit ex parte, tanquam qui Sabellianorum nugas
habuerit. Quidam verò pro ipso rationem reddiderunt,
non sic rem habere, sed recte ipsum vixisse, & recte
ipsum quoque sensit affirmant, quare multa de hoc
questio fuit. Et occulta quidem mentis Deo nota sunt.
Verum qui ab ipso facti sunt & instructi, qui illius
mentem ignorant, & non veritatem illius recensent,
neque tres substantias confiteri voluerunt, quemadmo-
dum habet veritas, ... hic verò cum voluerit quædam
diffusius apud quosdam dicere, declaravit se cum Sa-
bellio sentire: quapropter etiam ipse inter hæreticos nu-
meratus ac confutatus est. Apponam autem & editio-
nem sermonis, quem fecit ad Julium beatum Romano-
rum Episcopum idem Marcellus, nimirum sui ipsius
defensionem faciens. Ceterum ex Apologia & libella
ipso apparebit, quod alia præter fidem veritatis sen-
serit. Nisi enim alia sensisset, quorum gratia ad suā
purgationem devenisset.*

Postquam autem ad verbum descripsit brevem apo-
logiam seu professionem fidei, quam Julio obtulit
Marcellus, sic prosequitur: *An itaque hic libellus re-
ctè habeat, qui possunt, legant, & que in ipso dicta
sunt, diligenter cognoscant: & si quidem male habet,
ipsi judicent. Non enim volumus ultra ea, quæ novi-
mus, & ad nos pervenerunt, dicere. Etiam si eni-
am rectè habeat libellus ex proposito argumento, rursus
cogitant legentes & audientes, quod non frustra, ne-
que in vanum, neque contra illum ipsi necessaria fuit
apologia & purgatio: nisi sanè evoanisset sermones
quosdam turbantes, & cogentes ipsum ad defensionem
devenire eorum, quæ ab ipso dicta sunt. Contigit eni-
am & post admissum errorem, ut per libellum se ipsum
purgaret ac corrigat. Aut fortassis per libellum ornavit
suos sermones, quo occultaret ea, quæ ab ipso dicta
erant, ut ne exideret per depositionem à communione
Episcoporum collegio ac regula.*

Teste igitur Epiphiano, etiam post testimonium à
Julio Pontifice & Sardicensi Synodo orthodoxie Mar-
celli redditum, magna de illo fuit controversia, aliis
scilicet affirmantibus eum in Sabellii dogma inpegisse,
alii

aliis è contra contendentibus eum semper rectè & vixisse & lenissime, eosque qui se ab illo institutos gloriabantur, & dogma Sabellii profitebantur, neque mentem ejus attigisse, neque doctrinam ejus secutos esse. Interea tamen Epiphanius suspecta fuit Marcelli fides, suspecta intentio & sinceritas; cum & apologia indiguerit, & apologiam scribere potuerit animo errores suos occultandi, ne scilicet deponeretur, & à Catholicorum Episcoporum communione excideret, præterquam quod professio fidei, ab eo edita, fortasse errores, qui ei imputabantur, non sufficienter refelleret. Ibidem autem, quod non est prætermittendum, narrat Epiphanius, quod interrogatus à se aliquando, quid de Marcello sentiret, Athanasius, neque ipsum defendit, neque rursus graviter adversus ipsum invehit; sed solum risu leni addito, ostendit non multum ab improbitate ipsum abhorruisse, & in eorum loco, qui se purgassent, habuit.

Pro Marcelli orthodoxia pugnat, 1. Judicium Julii Pontificis Maximi, qui de Marcello ad Orientales rescribit his verbis: *Cum à vobis postularetur, ut de fide diceret, tanta cum fiducia per se respondit, ut nemo non perciperet, eum nihil à veritate profiteri alienum, sed eadem cum pietate, qua Ecclesia, de Domino ac Salvatore nostro sentit, neque jam tantummodo, sed etiam olim hujus sententia se fuisse confirmatam, uti & nostri Presbyteri, qui tunc in Niceno Concilio aderant, de ipsius recta fide contestabantur: nam & cum tunc quoque in sententiis dicendis dimicasset cum Ariana heresi, testes fuere...*

2. Judicium trecentorum in Sardicensi Synodo Episcoporum, qui in Epistola synodica ad omnes Ecclesiarum Catholicarum Episcopos, de Marcello scribunt in hunc modum: *Recitata quoque sunt scripta collegæ nostri in scriptis Marcelli, & deprehensa est Eusebii dolosa vafrities. Quæ enim Marcellus per modum questionis tractaverat, ea tanquam ita esse profiteretur, calumniari sunt. Recitata quoque sunt in his questionibus, quæ intercederent, & subsequerentur, & inventa est bona & recta fides istius viri. Et inferius: Nos dilectos fratres & comministros nostros Athanasium, Marcellum, Asclepam... innocentes & puros pronunciamus.*

3. Professio fidei, quam ipse Marcellus obtulit Julio Pontifici, & quam ad omnes Ecclesiarum Catholicarum Episcopos mitti rogavit. In ea autem sic loquitur: *Credo autem sequens divinas Scripturas, quod unus est Deus, & hujus unigenitus Filius Verbum, qui semper coexistit cum Patre, & nunquam principium ut esset, habuit: verè ex Deo existens, non creatus, non factus, sed semper existens, semper conregnans Deo & Patri, cujus regni, juxta Apostoli testimonium, non erit finis... Quæ verba è diametro opponuntur Sabellianæ impietati.*

4. S. Athanasii auctoritas in epistola ad Solitarios, ubi hac scribit de Marcello: *De Marcello autem Episcopo Galatiæ, supervacuum fuerit fortasse mentionem facere, cum nulli non constet, Eusebianos ab eo de heresi reprehensos, hæreseos recriminationem pro talione illi vicissim impigisse, senemque hominem in exilium eiecisse. Ille autem Romam profectus, sese innocentem docuit, & ut iussus ab illis fuerat, scripto suam fidem, quam Sardica Synodus amplexa est, edidit.*

Ea autem omnia, quæ adversantur, aut videntur adversari orthodoxiæ Marcelli, non difficilem habent solutionem. Nam Basilii, qui Marcellum ex libro, quem contra Asterium scripserat, judicavit hæreticum, auctoritati opponitur, 1. Auctoritas Julii Pontificis, qui Marcellum præsentem interrogavit, examinavit, & audivit, atque interrogatum, examinatam, & auditam, suffragantibus, qui aderant, Episcopis quinquaginta, judicavit orthodoxum, post catholicam ab eo fidei professionem editam. 2. Auctoritas Sardicensis Synodi, à qua innocens pronuntiatus est Marcellus, postquam fidei suæ rationem reddidit coram trecentis Episcopis, qui Synodo aderant, & ejus contra Asterium scripta diligentissimè inspecta fuere, ipso præsentem, qui proinde mentem suam ex-

ponere, & si quæ difficilia, vel ambigua, aut prævum habere sensum viderentur, uti intellexisset, declarare poterat. 3. S. Hilarii auctoritas in fragmento 2. ubi de libro Marcelli, in quo Sabellianam hæresim contineri putavit S. Basilii, sic ait: *Docetur etiam recitatione ejusdem libri innocentem deprehendi (Marcellum), falsitatem quoque judicii Ariani (in concilio Constantino) in quo ab Eusebianis Marcellus exauctoratus est ut hæreticus, ob prætensores errores in dicto libro expressos) extantis adhuc libri fides arguit.* Juxta Hilarium igitur libro illo non continebantur errores, qui Marcello ab Eusebianis imputabantur. Unde hoc loco notat Hilarius Athanasium aliquando à communione sua abscessisse Marcellum, non propter librum, quo recitato, sententia Synodi Sardicensis episcopatu erat redditus; sed quia, quedam alia nova miscere sensit, & ambiguis predicationibus, ejus in quam Photinus erupit, doctrinæ viam querere.

Ad 2. Quod contra Marcellum assertur, R. orationem illam non esse Athanasii, sed alterius Auctoris, ut probat styli dissimilitudo: ut enim observat Petavius noster lib. 1. de Trin. c. 13. orationis illius stylus multò comprior est & ornatio, quàm Athanasianus. Præterea, in ea dicuntur tres hypostases in Trinitate; cum una tantum dixerit Athanasius.

Ad 3. R. in lib. 7. Hilarii contra Arianos nihil legi, unde inferri necesse sit, illum habuisse Marcellum ut hæreticum. Ad id enim minimè cogunt hæc Hilarii verba: *Impie multos ad unius Dei professionem Galatia nuriebat; in quibus tamen solis conjecturam suam fundare potuit Hieronymus, qui loco citato de Marcello hæc subiungit: Porro ille defendit se non esse ejus dogmatis, cujus accusatur, sed communionem Julii & Athanasii, Romane, & Alexandrinæ urbis Pontificum, se esse munitum.* At quomodo Julii & Athanasii communionem habuit, si fuit hæreticus?

Ad 4. R. locum illum Hilarii non mediocrem habere difficultatem. Idem Athanasius, inquit, Marcellum, qui post recitationem libri, quem scriptum ediderat (nam hunc nos quoque habemus) sententia Synodi Sardicensis episcopatu erat redditus, ubi quedam alia nova miscere sensit, & ambiguis predicationibus, ejus, in quam Photinus erupit, doctrinæ viam querere, à sua communione separat anteriore tempore, quàm Photinus arguitur... Illud autem esse cognitum cunctis oportet, nullam unquam adversus Marcellum, præter eam qua Sardicensibus est dissoluta sententiis, deinceps Synodum fuisse contractam; neque tunc cum de Photino decretum ab Occidentalibus est, & ad Orientales est relatum, aliquid in eum expressum fuisse judicium... Sed cur abnegata Martello communionis Athanasius reus esse rescribitur (ab Orientalibus?) Numquid propter libri vitium Marcellus absensus est? Testes ipsi sunt, ex institutis ejus Photinum perverstratis istius initia sumisse. Nam negata sibi ab Athanasio communione, ingressu sese Ecclesie Marcellus abstinnit. Ita communio cum eo inita, rectam fidem (Marcelli) de subjectione & traditione regni docet: negata rursus pravitate doctrinæ alterius (propter quam Photinus damnatus est) ostendit.

Ex hac porrò narratione liquet, separationem illam, de qua Hilarius loquitur, si facta est, factam esse post Sardicensem Synodum, ac proinde post annum 347. & ante solemnem Photini condemnationem, factam ab Occidentalibus Episcopis, sive Mediolani, ut nos volumus, sive Sirmii, ut alii volunt, ac proinde ante annum 349. At quo pacto hoc conciliari potest cum Athanasii ad Solitarios epistola, in qua honorificentissimam Marcelli mentionem facit, & quam non ante annum 357. scripsit, cum in ea meminere Liberii lapsus, ejusque in urbem reditus, qui hoc anno contigit? Illam igitur separationem habemus ut factam ab Ariani suppositum, & ab Hilario, falsis rumoribus decepto, delcriptum. Hinc patet responsio ad 5. Nam Severus Sulpitius ex Hilarii fragmento narrationem suam sumpsit.

Ad reliqua R. Sozomenum securum esse Socratem, & So-

Anod Athan.
epol. 2.

Anod Athan.
epol. 2.

Anod Epiph.
her. 72.

& Socratem deceptum fuisse libris ab Eusebio contra Marcellum scriptis, quorum loco citato expressam mentionem facit. Item Chrysostomum, Theodoretum, & Marium Mercatorem, aut libris Eusebii, vel S. Basilii epistolis, aut falsis rumoribus deceptos fuisse. Præterea, cum sint testes tempore diffusi, illos presentibus & oculatis testibus, Julio, Athanasio, & Sardicensibus Episcopis, contrarium asserentibus, facile posthabendos esse, quis dubitare potest?

Ad *hesitationem Epiphani* R. Marcello id contigit se, quod antecedente sæculo contigerat Dionysio Alexandrino, qui dum ferventiùs insequitur Sabellii dogma de unitate non solum naturæ, sed etiam personæ in Deo, visus est nonnullis etiam Catholicis, non solum personarum, sed etiam substantiarum diversitatem asserere; & apud cognominem Pontificem Maximum accusatus, ab eoque iustus fidem suam exponere, se ipsum purgare, & in hunc finem apologiam scribere coactus est. Ita pariter Marcellus, dum contra Asterium scribens, Arianam impietatem insecutur ardentius, Sabellianæ & Samosatænæ impietatis reus tantum non effectus est. Unde ut Epiphanius aliquando dicebat Athanasius, non multum ab improbitate absuit, & purgatione indiguit, non quod contra hæreticum hominem ipse animo hæretico scripsisset, & sub prætextu unius erroris expugnandi, alterum oppositum, jam à centum ferme annis ab universa Ecclesia proscriptum, vellent instaurare; sed quod ex nimio ab hæreticis recedendi, illique effugium omne occidendi ardore ita scripsisset, ut videretur ea asserere aut negare, quæ asseruerant aut negarant Sabellius & Paulus Samosatæni.

Tale quid homini, etiam probè Catholico, facile accidere potuisse, probat Dionysii Alexandrini exemplum. Sicut igitur Dionysius nunquam habitus est ut hæreticus, eo quod in aliquibus suis contra Sabellium scriptis visus est nonnullis Verbum alterius à Patre substantiæ & creaturam facere, & defensione indiguit: ita nec Marcellus ut hæreticus haberi debuit, aut debet, eo quod indiguerit apologia, quia visus est aliquibus in suo contra Asterium libro Sabellii & Samosatæni instaurare hæresim; præferim cum Julio & ejus Synodo, atque Sardicensibus Patribus in reddenda fidei suæ ratione plenè satisfecisset, & in Athanasii communione permanerit. Quod autem addit Epiphanius, Marcellum apologiam scribere potuisse animo errores suos occultandi, & vitandi depositionem, posset etiam dici de Dionysio: unde nihil probat, nec sufficientem suspitioni locum dare potest.

Dices. Ex Hilario in frag. 2. hæresim docuit Marcellus, non quidem in libro de subiectione Domini Christi, quem contra Asterium scripsit, sed in privatis colloquiis & publicis sermonibus, quibus ad Sabellianismum & Paulianismum instruit discipulos suos, quorum antesignanus fuit Photinus, qui, quod hæreticos illas publicè profiteretur, in pluribus Synodis damnatus, & tandem ab Episcopatu dejectus est. R. hoc non magis verum esse, quam quod ibidem narrat Hilarius Athanasium à communione sua separasse Marcellum, quia senerat illum *ambiguis prædicationibus*, ejus, in quam Photinus erupit, doctrinæ viam querere.

Itaque verba illa Hilarii, *Nunquid propter libri vitium Marcellus absens est ab Athanasio? testes ipsi sunt Orientales, ex institutis ejus (Marcelli) Photinum pervertitatis istius, propter quam damnatus & depositus est, initia sumpsisse;* quibus significat Photinum pervertitam suam doctrinam hausisse; non ex libro Marcelli, sed ex ejus institutione; non recipimus ut vera, sed è contra dicimus Photinum, Marcelli discipulum, non à Marcello imbutum fuisse erroribus, quos postea professus est, sed ad summum in illos inductum ex lectione libri à Marcello editi, quem in pravam & hæreticam sententiam facile depravare potuit. Unde putamus in Photinum potius cadere verba illa Epiphani hær. 72. *Verum qui ab ipso facti sunt & instructi, qui illius mentem igno-*

rant, & non veritatem illius recensent, neque tres substantias confiteri voluerunt, &c.

Nostræ responsionis bonitas adhuc magis declarari potest ex eod. Epiphanius: nam loco citato hæc habet: *Ceterum nunc dicunt orthodoxi, & Fratres nostri ac Confessores, à quibusdam discipulis, à Marcello relatis, editionem confessionis fidei purgate se accepisse.* Tum hanc fidei professionem, quam inscribit Marcelli fidem, subjicit. Sic ergo germani illi discipuli Marcelli loquuntur: *Neque sentimus, neque sensimus unquam aliquid extra decretam in Nicæa universalem & ecclesiasticam fidem... detestantes eos qui audent creaturam dicere Spiritum sanctum, & hæresim Arianam, Sabellianam, ac Photini, & Pauli Samosatensis; & eos, qui non dicunt sanctam Trinitatem tres personas incircumscriptas, & in substantia existentes, & coæternales, & consubstantiales, & perfectas: detestantes item eos, qui dilatationem, aut contractionem, aut operationem Patris Filium dicunt, & eos qui Deum Verbum Filium Dei ante secula, & consubstantialem Patri, & in substantia, & perfectum Filium, ac Deum non confitentur. Si quis eundem Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum dicit, anathema sit. Si quis principium aut finem Filio Dei & Verbo, aut regno ipsius tribuit, anathema sit. Si quis Patrem Patris dicit Filium, aut Spiritum sanctum, & non confiteatur Filium Dei ex essentia Patris ante omne consilium genitum esse, anathema sit.*

Certe tam catholica fidei professio non nisi ex schola planè catholica prodire potuit; & eos, qui tam catholicè loquuntur, à Magistro planè catholico instructos fuisse necesse est. Præterea, cum expressè damnent errores Marcello ab Eusebiano imputatos, manifestè ostendunt per calumniam imputatos fuisse. Marcellus igitur verè catholicus & orthodoxus fuit. Quod si ex ejus schola prodiret Photinus, qui hæreticus factus est, hoc ei non debet officere: Photinus enim talis profectò evasit, non quia hæreticam ab eo institutionem accepit, sed quia orthodoxam doctrinam, quam ab orthodoxo magistro didicerat, Sabellii & Pauli Samosatæni impietati posposuit.

Dices. Eusebius Cæsariensis in suis contra Marcellum libris probat eum in libro contra Asterium edito, cujus fragmenta refert, docuisse, 1. Verbum Dei unam esse cum Patre personam, & quod consubstantium est, sic assumptum esse hominem, ut sola efficientia & actione collatari Deus sit credendus. 2. Post resurrectionem, qualemcumque Verbi cum carne conjunctionem desitutam. 3. Ante incarnationem, Verbum Dei fuisse Filium, sed tunc Filium Dei factum esse, quando & caro factum est. 4. Verbum ex se non esse imaginem Dei, sed hoc ei solum competere propter assumptam hominis naturam. 5. Christi regnum non fore perpetuum, sed tunc desitutum, quando Verbum, derelicta carne, ad Patrem rediit.

R. Hic audiendum non esse Eusebium, qui non ex religionis zelo, sed ex odio contra Marcellum Ariani dogmatis oppugnatorem acerrimum præconcepto, in illum scripsit, illumque recriminandi gratia hæreseos accusavit; sed fidem habendam esse, 1. Hilario, qui Marcelli librum apud se habuit, ut restatur in frag. 2. in quo etiam expressè asserit librum illum purum esse ab erroribus, quos Marcello imputabant Eusebiano. 2. Sardicensis Synodi Patribus, qui postquam librum illum diligentissimè inspexissent, innocentem & orthodoxum pronunciarunt Marcellum, & ad omnes Catholica Ecclesiæ Episcopos scripserunt, eum, quæ in dicto libro rectæ fidei viderentur apertè adversari, non asserendo, sed inquirendo tractasse; cætera verò bonum sensum habere, & animo catholico scripta deprehendi ex antecedentibus & consequentibus.